COMPENDIUM
PRIVILEGIORUM
REV. FABRICÆ S. PETRI

A

JOHANNE CAROLO VESPIGNANIO

JUDICE ORDINARIO

JAM PRIMUM ABSOLUTUM

NUNC NOTIS, ET NONNULLIS ACCESSIONIBUS EORUMDEM FABRICÆ PRIVILEGIORUM LOCUPLETATUM

A

HIERONYMO BALDASSINIO

PATRICIO ÆSINO J. U. D.





ROMÆ MDCCLXII.

EX TYPOGRAPHIA KOMAREK, PROPE ORATORIUM S. MARCELLI.

PRÆSIDUM FACULTATE.

CELSITUDINI
REGIÆ EMINENTISSIMÆ
HENRICI
CARDINALIS DUCIS EBORACENSIS
EPISCOPI TUSCULANI.

HIERONYMUS BALDASSINIUS
FELICITATEM.



UUM TIBI REGIA EMINENTISSIMA CELSITUDO illud maxime cordi ſit, ut ea, quæ TIBI commiſſa ſunt munera, ſingulari diligentia, ac cura adminiſtres,

vereri nullatenus debebat Opus hoc olim a clarissimo Johanne Carolo Vespignanio absolutum de Privilegiis Reverendæ Fabricæ Sancti Petri, cujus provincia una cum Archipresbyteratus Vaticani dignitate in TE collata fuit; vereri inquam nullatenus debebat, quin si TIBI se sisteret, comiter, ac perbenigne exciperetur. In eo enim non una, vel altera dumtaxat, sed omnes, & singulæ continentur Summorum Pontificum Constitutiones, & nonnulla etiam recensentur Decreta ad S. Petri Fabricam spectantia, nec non plures in calce adnotatæ reperiuntur remissiones, quæ vel materiam illam fusius declarant, vel Auctores illos, qui in eadem sunt cum Vespignanio sententia, indigitant, ac denique Litteræ Apostolicæ Benedicti Quartidecimi, qui TIBI Basilicæ Archipresbyteratum commen-

commendavit, TEQUE in Congregationis Fabricæ Præfectum constituit. Quæ sane omnia novam hanc libri hujus editionem commendatam reddent, utpote quæ quicquid materiam hanc respicit, ob oculos ponet, planioremque TIBI viam, ad quam es ingressus sternet, ut gloriam, quam in aliis, etiam in isto obeundo munere assequaris. Illud addam, me nullatenus morari reprehensiones illorum hominum, qui, quod reticuerim laudes TUAS, me fortasse accusabunt; verum isti ignorare se simulant, quod ignorare nequeunt, me primò non dicam iis in exponendis imparem esse, deinde eas esse pervulgatas, nec gratas modestissimi Principis in aures descensuras. Sat ergò mihi erit: REGIA EMINENTISSIMA CELSITUDO, si opus excelso TUO NOMINI inscriptum in

omnium

omnium conſpectum ſe dare poſſit, & ſi Tuo judicio probes, patrocinio foveas, & auctoritate defendas, tum illud, tum auctorem ſuum, qui Eminentissimæ Dignitati Tuæ, ad quam meritorum ope es evectus fauſta omnia, ac felicia a DEO precatur.

viii. Kal. Aprilis MDCCLXII.

Impri-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus Jordani Archiep. Nicom. Vig.

APPROBATIONES.

QUUM Compendium Privilegiorum Rev. Fabricæ S. Petri jam a Vespignanio absolutum, & Notis Hieronymi Baldassinii Patritii Æsini locupletatum, quod Jussu Reverendissimi Patris S. P. A. Magistri accurate legi, nihil contineat Catholicæ Religioni, vel bonis moribus contrarium, luce publica dignum Censeo.

Romæ ex Ædibus Sanctissimæ Annunciationis e regione Templi Sanctæ Claræ Idibus Aprilis MDCCLXII.

Joannes Felix Garatonus in Romana Curia Advocatus.

Quod

Quod, jubente Reverendissimo Patre S. A. P. Magistro, legi Compendium Privilegiorum Rev. Fabricæ Sancti Petri jamdudum a Vespignanio editum, & Notis Hieronymi Baldassini Patritii Æsini nuper locupletatum, cum nihil contineat, aut sit Catholicæ Religioni, aut bonis moribus contrarium, dignum videtur, ut iterum in lucem prodeat. Datum Romæ Idibus Aprilis 1762.

Joannes Arduinus in Romana Curia Advocatus.

IMPRIMATUR,

Fr. Augustinus Ricchinius Sac. Palat. Apost. Magist. Ord. Præd.

COL-



COLLEGII REV. FABRICÆ

Institutio, & Facultates.



Collegium LX. Virorum Reverendæ Fabricæ fuit institutum a Clemente VII. [1] *Const.* 3. *in Bull.* §. 1. & 2.

Hujusmodi extincto Collegio dictorum LX. Deputatorum fuit subinde a Clemente VIII. peculiaris subrogata Congregatio Fabricæ S. Petri nuncupata, & ex pluribus S. R. E. Cardinalibus, ac Romanæ Curiæ Prælatis composita, ut videre est in Litteris Benedicti XIV. incipientibus = *Quanta Curarum* = Datis apud S. Ma-

B riam

BALDASSINIUS.

(1) Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Fabrica S. Petri.

riam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1751. Decimo ſeptimo Kal. Decembris Pontificatus Anno Duodecimo.

Recenſitum Collegium eximitur cum ejus particularibus perſonis ab omni alia Juriſdictione, & Superioritate (a) Clemens VII. *in d. Conſtit.* 3. §. 3.

Facultatem habet deputandi (b) Officiales, & Salaria dandi dicta *Conſtit.* 3. §. 4. *&* 10. ſtatuendi, & ordinandi (c) pro proſpero ſtatu Reverendæ Fabricæ, & Statuta hujuſmodi eo ipſo cenſeantur auctoritate Apoſtolica *ibidem*.

Ju-

VESPIGNANIUS.

(a) Quamvis vigore hujus privilegii omnes fabricæ inſervientes ſemper fuerint exempti a quavis alia, etiam *Ordinariorum* locorum juriſdictione tam civili, quam criminali active, & paſſive, ut habetur ex Bulla Pauli III. *in Bullar. nov.* 31. §. 46.

BALDASSINIUS.

(a) Marant reſponſ. 2. n. 25. par. 1.

Squillant. de Oblig. & Privil. Epiſcop. par. 1. cap. 16. n. 15.

Rota deciſ. 1309. n. 1. tom. 5. coram Molines.

Hodie tamen Collegium LX. Virorum ſubjacet Baſilicæ Archipresbytero, ut ex litteris tam Sixti V. incipientibus = *Cum ex debito* = Datis apud S. Petrum Anno Incarn. Dominicæ 1590. quarto Nonas Martii ejuſdem Pontificatus Anno V. quam ex dd. Litteris Benedicti XIV.

VESPIGNANIUS.

(b) Hoc intelligitur de omnibus Miniſtris Fabricæ inſervientibus, quibus de ſtylo conceduntur Litteræ patentes, vel inhibitiones in Curia; & extra etiam cum facultate deferendi arma ad inſtar Cameralium.

(c) Nota quod vigore hujus facultatis Collegium bannimenta etiam pœnalia publicare conſuevit pro viis, & paſcuis animalium fabricæ inſervien. ut infra pro exemplo habetur.

Jurisdictionem ordinariam exercendi *dict. Constit.* §. 10. (1)

Fides gestorum per Officiales ab iis subscriptæ, & sigillo Collegii munitæ fidem faciunt, ac si per Camerarium, & Præsidentes Cameræ gesta, & facta essent. *Clem. VII. d. Constit.* 3. §. 7.

Procedendi contra debitores præsentes manu regia (a) pro debitis etiam ex causa cessionis liberæ (b) Fabricæ factæ, vel si ad eam vigore applicationis pertineat illis personaliter, vel ad Domum citatis absque alia tela judiciaria, singulis diebus etiam tempore feriarum *Clem. VII. dict. Constit.* 3. §. 10. & *Pauli III. Constit.* 31. §. 33.

Procedendi etiam Sede Vacante, & Romano Pontifice a Romana Curia absente, *dict. Constit.* 3. §. 10.

Debitores, & condemnatos excommunicandi (c) aggravandi, & reaggravandi toties, quoties &c. auxilium brachii Sæcularis contra eos invocandi, & quæcumque remedia per Præsidentes Cameræ exerceri solita usque ad integram satisfactionem exercendam, *d. Constit.* 3. §. 11.

B 2 Com-

BALDASSINIUS.

(1) Nota quod Judex Fabricæ S. Petri est Judex Ordinarius in Urbe, & Fabricæ causas summariè cognoscit. Ridolphin. in Prax. par. 1. cap. 7. n. 103.

VESPIGNANIUS.

(a) Hanc facultatem habent etiam Commissarii, ut infra in instructionibus impressis.

(b) Liberæ non cum pacto quotæ litis.

(c) Hujusmodi facultas excommunicandi fuit interdicta Commissariis, ut infra in instruct. §. 18. Et in Decreto 20. Aprilis 1633. in fin.

Commiſſiones Cauſarum appellationum, & nullitatum per ſolum Collegium facien. *d. Conſtit.* 3. §. 12.

Signatura Juſtitiæ, vel alius quiſquam committere non poſſit cauſas fabricæ, & niſi per ipſum Papam propria manu (1) vocatis Officialibus commiſſiones ſignari poſſint (a) *d. Conſtit.* 3. §. 12.

Mandata Officialium Collegii Fabricæ per quoſcumque exequutores exequi facien. *dict. Conſtit.* §. 13.

(2) Impedientes exequutiones, ſeu perceptiones bonorum ad Fabricam ſpectantium, vel Teſtamenta, & Scripturas (b) occultantes ſunt excommunicati, & pro talibus tam per Collegium, & ejus Officiales, quam per Commiſſarios in partibus declarari poſſunt, *dict. Conſtit.* 3. §. 14.

Locorum Ordinarii, etiam S. R. E. Cardinales, aliæque Perſonæ, quavis auctoritate etiam apoſtolica, fungentes, & cujuſvis alterius dignitatis, ſtatus, ordinis,

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod in Cauſis intereſſe Fabricæ concernentibus nullæ attendun-tur Commiſſiones, niſi ſint manu Sanctiſſimi ſignatæ.

Cardinal. Calcagnin. in Obſervat. Practic. legal. part. 1. obſerv. 19. n. 30.

VESPIGNANIUS.

(a) Privilegium hujuſmodi fuit etiam ampliatur per Paulum III. 30. Januar. 1540. & in ſpecie Jul. III. 20. Julii 1552. infra impreſ.

BALDASSINIUS.

(2) Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Fabricæ S. Petri.

VESPIGNANIUS.

(b) Contra Fraudantes, machinantes, falſificantes, ſeu quoquomodo perjudicantes Fabricæ majoris excommunicationis ſententia ſubjecit Leo X. 6. Septembr. anno 2. infra impreſſ.

nis, & conditionis exiſtentes, incurrunt ſuſpenſionem a divinis, & excommunicationem latæ ſententiæ (quæ tamen nulli reſervatæ ſunt) ſi audeant, & præſumant dictos Deputatos (1) moleſtare, vel eos impedire, quominus ſuas exequantur facultates, vel in his ſe directe, vel per indirectum ingerere, vel intromittere *Conſtit. S.Pii V.* quæ incipit = *Exigit* = *Idib. Sept.* 1570. §.11.

Perturbantes etiam effectum gratiarum Fabricæ, & auxilium præſtantes, nec non committentes dolum (a) vel fraudem in præjudicium fabricæ, vel ejus pecunias in alium uſum convertendo excommunicati declarantur a Paulo III. in Bull. incipien. = *Si Cunctarum* = ſub Datum 6. Idus Auguſti anno 1535.

Notarii, Parochi, & alii habentes notitiam tenentur infra Menſem (2) revelare teſtamenta, donationes, & alia Inſtrumenta in favorem fabricæ (b) Clemens VII. *d. Conſtit.* 3. §. 15.

Pri-

BALDASSINIUS.

(1) Notandum, quod locorum Ordinarii, etiam S. R. E. Cardinales moleſtantes, & impedientes Deputatos Fabricæ, quominus ſuas exequantur facultates incurrunt ſuſpenſionem a Divinis, & excommunicationem latæ Sententiæ.

Girald. ad Theſaur. de Pœn. Eccleſ. Par. 2. cap. 1. Verb. Fabricæ S. Petri fol. 181.

VESPIGNANIUS.

(a) Contra Fraudantes fabricam. Vid. infra decretum Leonis X. anno 1514.

BALDASSINIUS.

(2) Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Notarii Romanæ Curiæ, & in Verb. Fabrica S. Petri.

VESPIGNANIUS.

(b) Commiſſarii vigore hujus facultatis conſueverunt affigere edicta ſuper hujuſmodi revelationibus in eorum Provinciis.

Privilegia, & gratiæ per dictum Clementem VII. in dicta Constitutione concessa non veniunt in generali, vel speciali revocatione, etiam cum derogatoriis derogatariarum sub quacumque forma verborum etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & plenitudine potestatis; (a) sed voluit, ut vim contractus jurati habeant. Clemens VII. dicta *Constit.* 3. §. 16.

Privilegia, & facultates fabricæ non censeri revocata, nec comprehendi sub generali revocatione, & nisi de verbo ad verbum inserta sint, & quoties revocari contigerit, de novo concessa censeantur, neque sub regulis Cancellariæ a Summo Pontifice edi consuetis statuit Paulus III. *Constit.* 31. §. 47.

Testamenta clausa aperiendi, seu aperiri faciendi a quibuscumque Notariis post annum a die mortis testatorum, (1) & copiam authenticam tradi faciendi soluta mercede (b) juxta formam privilegiorum Pius IV. in Mo-

VESPIGNANIUS.

(a) Idem de omnibus facultatibus fabricæ Paul. III. in Brevi 6. Idus Aug. 1535.

BALDASSINIUS.

(1) Notandum, quod Fabrica potest in vim suarum facultatum post annum a die obitus Testatorum testamenta clausa a quibuscumque Notariis aperiri facere.
Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Notarii Romanæ Curiæ.
Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 250.
Ursaya in Compend. Privileg. Fabric. S. Petri n. 38.

VESPIGNANIUS.

(b) Nota quod merces Notariorum fuit taxata per Leonem X. ad rationem duorum cum dimidio pro quolibet centenario per fabricam applicando.

BALDASSINIUS.

(b) Danza Pugn. Doctor. tom. 1. In tit. de Legatis piis Cap. 1. n. 18.

in Motu proprio. Dat. 5. Kal. Jan. anno 3. in Bull. *Constit. 65.*

Officiales Rev. Fabricæ admittuntur in veros familiares Papæ ejusque indubitatos commensales censeri debere, & omnibus exemptionibus gaudere, prout antiqui, & veri familiares gaudent, etiam quoad expeditiones gratiarum Clem. VII. Constit. prid. Kal. Decembris 1526. infra impressa.

Legata pia quæcumque in Urbe exequendi infra quindecim (1) Menses a die mortis Testatorum realiter non ad impleta, in quibus Vicarius (2) Urbis non prævenerit cum retentione quintæ partis Sa. Mem. Pius V. *Constit. 96.*

rum

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quòd legata pia infra quindecim Menses sunt in Urbe exequenda.

Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Fabrica S. Petri.

Monacell. in Formul. legal. For. Eccles. tom. 1. in Appendic. p. 293. n. 21.

Ursaya in Compend. Privileg. Fabr. S. Petri n. 5;

Extra Urbem vero post annum proceditur.

Marant. respons. 41. n. 50. par. 1.

Rubeus de Testam. Cap. 84. n. 274. & seq;

Squillant. de Oblig. & Privileg. Episcop. Cap. 16. n. 11.

Notandum, quod inter Episcopos, & Commissarios Fabricæ datur etiam post annum præventio.

Monacel. in Formul. legal. For. Eccles. tom. 1. in Appendic. pag. 293. num. 21.

De Luccia de Legatis Mendicant. relict. pag. 181. n. 463.

(2) Vicarius Urbis potest jure præventionis manus apponere in causis interesse Fabricæ respicientibus.

Cardinal Calcagnin. in Observ. Practic. legal. 19. n. 31.

Maranta respons. 63. n. 65. par. 3.

Legata pia quæcumque post triennium non adimpleta pariter exequendi cum retentione medietatis eorum pro Fabrica (a) idem Sa. Mem. Pius V. *Constit*.97.

Bona Ecclesiarum male alienata revidendi, & hujusmodi causas cognoscendi cum applicatione fructuum eorumdem bonorum fabricæ indebite perceptorum causasque hujusmodi ab aliis Judicibus avocandi, & cum certa forma terminandi (1) Idem Sa.Mem. Pius V. Constit. 98. (b)

Bona Ecclesiarum male alienata, & per Commissarios recuperata de novo concedere poterant (2) in evidentem utilitatem Ecclesiarum in emphyteusim sive ad generationes cum consensu interesse habentium San. Mem. Pius V. *Constit*. 98. §. 5. (c)

Facultatem habet componendi cum possessoribus bonorum super tertia parte fructuum male perceptorum ei-

VESPIGNANIUS.

(a) Intellige tamen de legatis absque onere.

BALDASSINIUS.

(a) Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 247.

(1) Laurea in Epitom. Canon. Verb. Fabrica S. Petri.

VESPIGNANIUS.

(b) Hujusmodi facultas, fuerat antea Fabricæ attributa per Julium II. Constit. 23. §. 15. Clem. VII. Const. 9. §. 10. & Paul. III. Const. 31. §. 9.

BALDASSINIUS.

(2) Notandum, quod Commissarij habebant facultatem revidendi quascumque rerum Ecclesiæ alienationes, & de novo concedendi.

Ursaya in Compend. Privileg. Fabr. S. Petri n. 46.

Monacell. in Formul. legal. For. Eccles. tom. 2. tit. 16. pag. 256. n. 13.

VESPIGNANIUS.

(c) Sed hodie in Instructionibus hujusmodi facultas fuit omissa.

eidem fabricæ applicatura, etiam invitis Prælatis, vel ſuperioribus Eccleſiarum, dictoſque Poſſeſſores quietare, ibid. §. 5. in fine.

Lapides antiquos, & marmores extrahi faciendi (a) quotquot haberi poterunt ex Portuen. & Hoſtien. Civitatibus, eorumque Portubus, & agris abſque alia licentia. Clemens VIII. in Brevi 23. Julii 1598.

Legata quæcumque pia Almæ Domui Lauretanæ (1) relicta exequendi poſt annum in Italia, & poſt biennium extra eam a die, quo dictæ Eccleſiæ Lauretanæ Miniſtris fuerunt denuntiata, vel ceſſantibus denunciationibus ſi poſt triennium in Italia, & quinquennium extra eam a die mortis teſtatorum computandum (b) legata hujuſmodi non exegerint, aut alias litem contra hæredes, vel obligatos non moverint Sa. Mem. Pius V. *Conſt.56.* confirmata a Clem.VIII. *16.Martii* 1599.

Donationes pias etiam exequendi, itaut facultates fabricæ non ſint reſtrictæ ad ultimas voluntates Clemens

C

VESPIGNANIUS.

(a) Eandem facultatem conceſſit in Urbe, & extra Paulus III. 22. Julii 1540. etiam privative quoad alios.

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod Fabrica poteſt exigere legata relicta Almæ Domui Lauretanæ ob negligentiam non exacta.

Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Fabrica S. Petri.

Zerol. in Prax. Epiſcop. Verb. Fabrica Verſ. Quarto.

Rota in Ferrarien. legati 18. Februarii 1715. coram Cardinal. Scotto.

VESPIGNANIUS.

(b) Notandum eſt, quod tempus anni, vel biennii computandum eſt a die mortis Teſtatorum, & vis privilegii conſiſtit in tempore, nulla adhibita interpellatione.

mens VII. *Constit.* 3. §. 10. & declaravit Julius III. *Constit.* 15. in Bullario.

Donatio Fluminis Aniensis cum ejus Ripis, & lignaminibus ad favorem Fabricæ facta a Paulo III. 10. Kal. Septembr. anno 5. Una cum omnibus Mineriis Tiburtinorum lapidum, Puteolanæ ad Cameram Apostolicam spectantium.

Causæ omnes Rev. Fabricæ, ejusque interesse concernentes declaratæ fuerunt esse Sedis Apostolicæ, & ipsius Papæ (a) a Paulo III. in Motu proprio 8. Augusti 1535. Ubi etiam eximitur a solutione expensarum in iisdem causis ad instar. Fisci, & Cameræ Apostolicæ ut in eodem Brevi infra impresso.

Sententiæ duæ conformes pro fabrica latæ habent vim trium, (1) & faciunt rem judicatam, nec appellationes

nes

VESPIGNANIUS.

(a) Item causæ interesse Fabricæ concernentes avocantur a quibusvis Judicibus, & Collegio committuntur Clem. VII. *Constit.* 3. §. 11., & Jul. III. in Brevi 20. Aprilis 1552. Infra impresso.

BALDASSINIUS.

(1) In Tribunali Fabricæ duæ Sententiæ faciunt rem judicatam.

Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Fabrica S. Petri.

Novar. de Miserab. Person. Privil. 159. n. 6.

De Rosis Select. Jur. Observat. par. 1. cap. 40. n. 5.

Rota in recent. decis. 172. n. 3. par. 13.

Coram Molines decis. 1308. n. 1. tom. 5.

Non procedit vel quando Sententiæ sunt injustæ, vel quando lis non est cum Ipsa Fabrica.

Moneta de Commut. Ultim. Volunt. Cap. 11. n. 186. & cap. 12. n. 47. & 48.

Ventrigl. in Prax. tom. 2. Adnot. 28. §. 2. n. 46.

Ursaya in Discept. Eccles. 13. n. 3. & 4. par. 2. tom. 7.

nes ab eis debent recipi, & commiſſiones ſemper intelliguntur ſignatæ cum clauſula ſine præjudicio executionis duarum conformium ſtatuit Sa. Memor. Pius V. *Conſtit.* 96. in Bullar.

Bona (a) Fabricæ, & res ad eam ſpectantia, vel aſportata ſunt exempta (1) a quacumque Gabella Leo X. 5. Non. Martii 1514. §. 17. Paulus III. *Conſtit.* 31. §. 16.

Bona Fabricæ debent vendi ſub Aſta Clemens VII. *Conſtit.* 3. §. 9. Paulus III. *Conſtit.* 31. §. 16.

Fabrica ſuper quibus componere poſſit, & Jus habeat.

COmponere (2) poteſt ſuper fructibus male perceptis ob omiſſionem horarum Canonicarum, & Divinorum Officiorum Jul. II. *Conſtit.* 23. §. 8. *in fin.* Paulus III. *Conſtit.* 31. §. 5. *in fin.*

VESPIGNANIUS.

(a) Vide infra decretum Cardinalis Camerarii an 1565.

BALDASSINIUS.

(1) Cardinal. Calcagnin. Oſervat. Practic. legal. Obſervat. 19. n. 2. Urſaya in Compend. Privileg. Fabric. S. Petri n. 128.

BALDASSINIUS.

(2) Notandum eſt, quod diſpoſitio *Text. in leg. Per diverſas, & leg. Ab Anaſtaſio Cod. Mandat.* non habet locum in Ceſſionibus, ſeu compoſitionibus, quæ fiunt cum Fiſco, cum Camera, vel Fabrica S. Petri etiam ad favorem tertiæ perſonæ, vel revelatoris, ſeu denunciatoris, prout etiam ſervatum ſemper fuit in Tribunali Fabricæ, & de jure teſtatur.

Cardinal. de Luc. de Debit. & Credit. diſc. 149. n. 6. & ſeqq.

Rota in recent. deciſ. 274. n. 1. & 11. cum ſeqq. par. 17.

Sutrina Immiſſionis ſuper Compoſitione 17. Nov. 1727. §. 12. cor. Card. Aldrov.

Super male ablatis incertis, vel per usurariam pravitatem quæsitis etiam certis, quæ Fœnerator ab alio Fœneratore extorsisset, & quæ ipsemet requisitus usuras restituere paratus non esset Julius II. *Constit.* 23. §. 9. Clemens VII. *Constit.* 9. §. 5. Paulus III. *Constitut.* 31. §. 8. (a)

Ubi quod male ablata adeo sunt Fabricæ applicata, ut possit etiam exacta ab Ordinariis repetere Clemens VII. *d. Constit.* 9. §. 6., & Paulus III. *Constitut.* 31. §. 8.

Super relictis alicui privatæ Ecclesiæ, in quibus Ecclesia Romana de jure communi succedere potest Julius II. *Constit.* 23. §. 10. Clemens VII. *Constit.* 9. §. 6. Paulus III. *Constit.* 31. §. 8.

Super bonis restituendis iis, quibus ignoratur restitui debere, etiamsi non sint male ablata Julius II. *Constit.* 23. §. 11. Clemens VII. *Constitut.* 9. §. 7. Paulus III. *Constit.* 31. §. 6.

Super relictis pauperibus (b) vel piis locis in genere, & absque ulla speciali determinatione, & propriis nominibus (c) personarum non expressis tam pro præterito, quam

VESPIGNANIUS.

(a) Vide decreta, & declarationes factas per Sac. Congregationem Fabricæ infra super hujusmodi materia.

(b) Adverte quod hujusmodi legata pauperibus fuerunt declarata certa per Constit. Alex. VII. 16. Novembris 1660., & in iis proceditur prout in aliis legatis certis.

(c) In his verbis restringitur vis tota hujus privilegii, & vide declarationes Sac. Congregationis anni 1579.

quam pro futuro (1) Julius II. *Constitut.* 23. §. 12. Clemens VII. *Constit.* 9. §. 8. Paulus III. *Constit.* 31. §. 6.

Super relictis pro maritandis puellis, celebrandis Missis, (a) & Divinis Officiis in genere tam pro præterito, quam pro futuro Leo X. in Brevi 18. Kalendas Octobris 1517. (b)

Super occupatione bonorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum, si occupantes deficientibus probationibus compelli non possent etiamsi probari posset Julius II. *Constit.* 23. §. 11. Clemens VII. *Constitut.* 9. §. 10. Paulus III. *Constit.* 31. §. 9. (c)

Jus

BALDASSINIUS.

(1) Rubeus de Testament. Cap. 81. n. 78.
Rota decis. 212. n. 5. coram Cavalerio.

VESPIGNANIUS.

(a) Adverte, quod in hujusmodi legatis Missarum licet in genere relictis non fit compositio pro futuro, sed tantum præterito, quando vires patrimonii suppetunt.

(b) Adverte etiam, quod super hujusmodi legatis puellarum adsunt decreta anno 1579-1598. inferius registrata, in quibus aliquo modo præservantur.

(c) Vide super his ampliorem facultatem per Sanctum Pium V. Const. 58. in Bullar. cum illius extensione §. 5.

Jus habet, & applicata Fabricæ ſunt ipſo jure infraſcripta.

RElicta quibuſcumque incertis Eccleſiis, & piis locis, (a) aut perſonis ſimiliter incertis, vel abſentibus taliter, quod propter ipſorum abſentiam merito notitiam habere non poſſent. Julius II. *Conſtit.* 23. §. 16. Leo X. in Brevi confirmat. per Paulum III. *Conſtit.* 31. §. 9. Clemens VII. *Conſtit.* 9. §. 12.

Item relicta pro redemptione captivorum etiamſi D. Mariæ de Mercede, vel Sanctæ Eulaliæ Barchinonen. relicta forent. Julius II. *Conſtit.* 23. §. 17. Paulus III. *Conſtit.* 31. §. 9.

Item hæreditates, & bona decedentium ab inteſtato Clericorum, & Laicorum etiam Indulto Apoſtolico, aut alias ad redemptionem prædictam applicata. Julius II. Leo X., & Paulus III. *Ibid.*

Item legata pecuniarum expendenda in prandiis, (1) con-

VESPIGNANIUS.

(a) Nota quod ſub hoc privilegio ſunt applicata fabricæ omnia legata, vel hæreditates factæ, vel relictæ perſonis, vel locis incapacibus, vel per illas repudiatæ, vid. infra declarationes ann. 1579. & 1589.

BALDASSINIUS.

(a) Marant. reſponſ. 37. num. 3. lib. 1.
Rota in rec. deciſ. 150. n. 40. par. 12.

(1) Cohell. in Bull. Bon. Regim. cap. 37. n. 23.
Rota deciſ. 212. n. 4. coram Cavalerio.
Non procedit, quando agitur de aliqua modica ſumma expendenda.
De Luccia de Legat. Mendicant. relict. pag. 93. n. 268.
Rota in d. deciſ. 212. ſub n. 5. coram Cavalerio.

conviviis, & publicis ſpectaculis in aliquibus celebritatibus ex Voto, Statuto, vel Conſuetudine. Julius II. *Conſtit.* 23. §. 18. Clemens VII. *Conſtit.* 9. §. 19. Paulus III. *Conſtit.* 31. §. 10.

Item vota relicta pro itineribus, peregrinationibus, ſi in executa remaneant Leo X. in Brevi confirmato per Paulum III. *Conſtit.* §. 18.

Item pœna ducatorum 500. (1) contra Impreſſores librorum abſque licentia, comminata in Concilio Lateranenſe per Leonem X. ſeſs. 10. in Brevi regiſtrato tom. 4. Concil. fol. 145. litt. A.

Item pœna ducatorum 500. comminata contra offendentes, vel impedientes Curſores Papæ, vel alios Nuncios Mandatarios Urbis. Clemens VII. *Conſtit.* 24.

De Commiſſariis Rev. Fabricæ.

Commiſſarii Fabricæ non poſſunt ab aliis quam a Collegio deputari Clemens VII. *Conſtit.* 3. §. 8. Exempti cum ſuis ſubditis (a) a juriſdictione quorumcum-

BALDASSINIUS.

(1) Fabricæ applicata extitit pœna in Concilio Lateranenſe comminata contra Impreſſores librorum abſque licentia.

Girald. ad Theſaur. de Pœn. Eccleſ. par. 2. cap. 3. Verb. Libros, aut ſcripta Pag. mihi 255.

VESPIGNANIUS.

(a) Vigore privilegiorum hujuſmodi expediuntur litteræ patentes tam pro perſonis propriis Commiſſariorum, & aliorum Officialium, quam pro eorum famulis cum facultate deferendi arma ad inſtar Cameralium, & cum exemptione a quacumque ſuperioritate, ut pro exemplo habes infra impreſ.

cumque legatorum, & Ordinariorum (1) omnium Leo X. 5. Non. Maii 1514. Paulus III. *Constit.* 31. §. 17. Idem de ipsis, eorumque Familiaribus, & Servitoribus, eorumque bonis Paulus III. in Bulla, quæ incipit = *Si Cunctarum* = sub Dat. 6. Idus Augusti 1535. infra impress. Et ex causis tam civilibus, quam criminalibus. Ibidem.

Causæ Commissariorum non possunt cognosci, nisi in Urbe a Collegio, vel coram eorum Judice Leo X. in dicto Brevi anno 1514., quod incipit = *Postquam ad Apostolatus* = enunciato in Bulla Pauli III. *in ordine* 31. §. 17.

Commissarii Rev: Fabricæ non possunt compelli ad residendum, sed fructus beneficiorum integre ac si personaliter residerent percipere possunt (quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis) (a) Paulus III. *dict. Constit.* = *Si Cunctarum* = 6. Idus Augusti 1535.

Com-

BALDASSINIUS.

(1) Marant. respons. 2. num. 25. par. 1. Squillant. de oblig., & Privileg. Episcop. par. 1. cap. 16. num. 25.

Rota decis. 1309. n. 1. tom. 5. coram Molines.


VESPIGNANIUS.

(a) Notandum tamen est, quod Sac: Congregatio Fabricæ raro, & perdifficile deputat ad munus Commissarii personas habentes curam animarum. Imo aliquando deputavit J. V. D. Laicum adhibito tamen ad usum Censurarum Clerico (quatenus opus habuerit) juxta Constit. Pauli III. *Constit.* 31. §. 15.

Nota quod nec possunt cogi ad officia, seu munera publica Communitatum, neque ad solutionem onerum Communitativorum tenentur, dumodo impositiones hujusmodi non fuerint inductæ per solutionem Cameralium.

Commiſſarii Rev. Fabricæ habebant facultatem declarandi dubia ſuper privilegiis, & Conſtitutionibus exorta, verum ab immemorabili tempore hujuſmodi facultas remanet penes Collegium tantum ſive Sacram Congregationem vigore Conſt. Julii II. 23. §. 19. Leo X. in Brevi incipien = *Accepimus* = 6. Septembris an. 2., & Pauli III. in Bull. incipien = *Si cunctarum* = 6. Idus Auguſti 1535. Ubi datur facultas, Privilegia, & facultates declarandi, & interpretandi, ac decidendi, dummodo declarationum hujuſmodi nota retineatur. Leo X., & Paul. III. ibid.

Reliqua ad Commiſſarios pertinentia habentur in fol. Inſtructionum infra impreſſarum.



DECLARATIONES
PRIVILEGIORUM
REV. FABRICÆ S. PETRI
Factæ ab Illustrissimis Deputatis Anno 1579.



Ieronymus Matthæjus Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Franciſcus Bandinejus de Piccolominibus Archiepiſcopus Senenſis, Bartholomæus Ferratinus Epiſcopus Amerinus Cancellariæ Apoſtolicæ Regens, Ludovicus Blanchettus Sacr. Cubiculi Sanctiſſim. Præfectus, & Antonius Lanfredinus utriuſque Signaturæ Referendarius Deputati Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe totum Collegium repreſentantes &c. Dilecto Melchiorri Revigliono Taurien. Commiſſario, & Secretario Rev. Fabricæ in Regno Neapolitano, ac aliis dictæ Fabricæ Commiſſariis præſentibus, & futuris ſalutem.

§. I.

Accepimus vos in proſecutione Cauſarum Fabricæ, ac Legatorum piorum exactione multas reperiiſſe difficul-

cultates, multaque vobis circa nonnullas facultates nostras obiici dubia, quæ non modicam, & Causarum expeditioni, & jurisdictioni afferunt perturbationem. Nos igitur, ut pareſt, in præmissis opportune providere volentes ex auctoritate, & facultate nobis declarandi, interpretandi, ac decidendi facultate ad tollendas omnes ambiguitates, & exceptiones, quæ circa privilegia Fabricæ, & facultates nostras oriri possunt, & fieri contingunt per præsentes, ut infra declarabimus, (1)

§. II.

Et quoniam alias fuit præcipue dubitatum, utrum Bulla S. Pii V. quæ incipit = *Exigit* = sub Datum Romæ anno Incarnationis 1569. 11. Kal. Jan. Pontificatus sui anno 4. esset intelligenda indistincte de omnibus legatis piis, vel potius de tribus speciebus tantum, nempe de legato facto pro celebratione Missarum, pro celebratione Divinorum Officiorum, & pro erogatione eleemo-

BALDASSINIUS.

(1) Declarationes Fabricæ vim legis habent, & pro lege servantur, nec ab ipsis in judicando recedere licet.

Marant. respons. 14. num. 17. par. 1.

Rota in Nupertim. decis. 62. num. 5. tom. 1.

Suttina Immissionis super Compositione 24. Novembris 1727. §. 5. coram Cardin: Aldrovando.

mosinarum. Ex generalitate verborum Bullæ (a) resolvendum duximus indistincte intelligi debere, ac per eam comprehendi quodcumque legatum pium locis piis in quibusvis dispositionibus piis expressis, ac nominatis, tam cum onere celebrationis Missarum, ac recitationis Divinorum Officiorum, quam absque alio onere, & ex quacumque causa pia factum. De legatis igitur, seu fideicommissis piis locis certis, ac in Testamento, seu quacumque alia pia dispositione, & donatione inter vivos expressis, & ex quavis causa factis, tam cum onere, quam absque alio onere quomodolibet de quibuscumque Ecclesiis, Hospitalibus, Piis locis nullo penitus excepto; nisi specialiter a Summo Pontifice, ac a Sede Apostolica, & tunc juxta formam suorum privilegiorum exempta existant factis. Commissarii Fabricæ post annum a morte Testatoris, si aliud tempus ab ipso Testatore limitatum non reperiatur usque ad triennium (1) com-

VESPIGNANIUS.

(a) Bulla S. Pii V. habet locum in omnibus dispositionibus piis.

BALDASSINIUS.

(a) Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 247.

Rota decis. 143. num. 3. coram Lancetta.

Fabrica procedit tantum in legatis piis, & ad piam causam factis.

Cirocc. Discept. 7. n. 26.

Rota decis. 212. n. 6. coram Cavalerio.

(1) Nota, quod quando hæredes sunt negligentes per triennium, seu alias a die mortis in exequendis legatis piis circa Missarum celebrandarum, & Divinorum Officiorum celebrationem Commissariis Fabricæ medietas alia medietas Loco, cui reducta fuit, applicatur.

Ricc. in prax. resol. 378. n. 1.

Zerol. in Prax. Episcop. Verb. Fabrica par. 2. Vers. Secundo.

completum quintam partem juxta diſpoſitiônem litterarum in forma Brevis fel. record. Leonis X. ſub Dat. Romæ die 16. Decembris 1514. anno ejus Pontificatus ſecundo, & poſt triennium medietatem in vim Bullæ S. Pii V. ſupra proxime relatæ, ſi, & poſtquam alias quatuor quintas partes, ſeu alteram medietatem (1) locis piis, quibus legatum fuit, ſolvi, aut aſſignari fecerint, pro fabrica exigant, & recuperent.

§. III.

Hoc autem non intelligitur, niſi de legatis pro una vice (2) tantum factis, quod ſi legatum pium perpetuum erit, & occaſione legati pro loco facti, certum quod faciendum, vel ſolvendum ſit, ſic ſtandum duximus, ut ſi quod annuatim abſque onere ſolvendum erat, inſolutum, ac inexactum reperiatur quinta pars, ſeu medietas ut ſuper de legatis certis pro unica vice tantum factis,

BALDASSINIUS.

(1) Fabricæ Jus non aliter intrat vel ad quintam, vel medietatem, niſi poſtquam pias diſponentium voluntates exequutioni demandari fecerit.

Marant. reſp. 41. n. 19. par. 1.

Ventrigl. in Prax. rer. Notabil. tom. 2. Annot. 28. §. 2. n. 9.

Rubeus de Teſtament. Cap. 87. n. 160. & ſeq.

(2) Nota, quod in legatis, vel piis aliis diſpoſitionibus pro unica vice peractis, niſi clare juſtificetur ipſorum implementum, non obſtante quocumque temporis lapſu, ſemper Fabricæ facultates locum habent pro obtinenda Bonorum deſtinatorum applicatione.

Rota in Sutrina Immiſſionis ſuper Compoſitione 24. Novembris 1727. §. 14. coram Cardin. Aldrovando.

factis, dictum eſt; ſi vero cum quovis onere annua ſolutio fieri debeat; nempe pro celebratione Miſſarum, Divinorum Officiorum, maritagio puellarum incertarum, diſtributione pauperum in genere, & alia hujuſmodi, totum quod decurſum eſt, & non ſolutum, vel non diſtributum pro fabrica exigatur, & de cætero Teſtatoriis voluntas obſervetur non diminuta in aliquo ſorte principali ipſius legati, & hocut legatorum perpetuorum vitetur extinctio. (1)

§. IV.

Legata incerta pauperibus in genere, (2) ſeu pro maritandis puellis, ut ſupra facta, etiamſi perpetua ſint, utpote ſi certum prædium, vel certa ſumma in bonis ſtabilibus, ſeu alias inveſtien. relinquantur, itaut omnes inde provenientes fructus in eleemoſinis pauperum (ut præfertur) incertorum, ſeu pro maritandis puellis ero-

BALDASSINIUS.

(1) Hujuſmodi facultates porriguntur quidem ad indulgendam abſolutionem a piorum onerum annualitatibus præteritis inadimpletis, nunquam vero ad abolendam, ſeu originariam ipſorum cauſam ſupprimendam.

Maranta reſponſ. 32. n. 32. par. 1.

Marot. Diſcept. forenſ. cap. 1. n. 1.

Rubeus de Teſtam. Cap. 83. n. 180.

Rota in Romana Cappellaniæ 2. Julii 1731. §. Qua de cauſa, & 14. Martii 1732. §. 4. & §. 9. coram Card. Aldrovando.

Firmana Diviſionis 15. Junii 1736. §. final. coram De Vais.

(2) Vid. Bullam Alex. VII. ſuper moderatione hujus facultatis quoad pauperes tantum, ubi ſtatuitur, quod legata relicta pauperibus in genere non poſſint amplius Fabricæ applicari tamquam incerta, ſed danda eſſe pauperibus.

Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Fabrica S. Petri.

erogentur, nec alicui certæ perſonæ, vel loco jus aliquod ex diſpoſitione Teſtatoris in proprietate acquiratur in totum vigore Bullæ felic. record. Pauli III. ſub Datum Romæ anno Incarnationis 1536. 6. Idus Auguſti anno ſui Pontificatus primo, aliorumque ejus Prædeceſſorum pro fabrica exigantur.

§. V.

Legata vero incerta intelligimus, quando non ſunt expreſſa propria nomina perſonarum, vel locorum, etſi ad arbitrium executorum (a) vel aliorum ſint relicta: Nam ſic intellexiſſe Summos Pontif. indicant Litterarum Apoſtolicarum verba illa, *propriis nominibus perſonarum non expreſſis*.

§. VI.

Ad hæc etiam incerta, ac vigore facultatum applicata cenſemus legata pia facta perſonæ, ſeu loco pio incerto, (2) vel incapaci, ac omnia ea, quæ a locis, ſeu

per-

VESPIGNANIUS.

(a) Ideſt piorum.

BALDASSINIUS.

(a) Legata pia, quæ ulla abſque determinatione, & propriis Perſonarum nominibus non expreſſis relinquantur, debentur Fabricæ.

Rubeus de Teſtament. cap. 80. n. 2.

Rota poſt Farinacc. Conſil. Criminal. tom. 1. deciſ. 126. n. 5.

In Nuperrim. deciſ. 82. n. 1. & n. 9. tom. 1.

Procedit, etiamſi ad arbitrium exequutorum ſint relicta.

Rocca Diſput. Jur. Select. cap. 44. n. 10.

(2) Fabricæ applicantur legata pia facta perſonæ, ſeu loco pio incerto, vel incapaci.

Antonel. de loco legal. lib. 1. cap. 11. n. 31.

personis ; quibus legatum est post quam legitime apparuerit ea repudiata , [1] vel propter onus injunctum, vel alia quavis causa, vel citati fuerint ad declarandum, an legatum sibi factum acceptare velint, expresse repudiata sunt , aut per eorum contumaciam per Judicis decretum dictis locis, aut personis intimatum, Fabricæ applicata; nam ex cujus dispositione legata pia certis locis, aut personis facta [quæ ex speciali privilegio caduca numquam fiunt] si non acceptentur ex post facto incerta redduntur.

§. VII.

Si legatum incertum pro maritandis puellis fit mediante nominatione , earumque nubilium tantum , & non aliter certificatum, ac applicatum puelleque dotandæ ante litem motam [a] per Commissarium Fabricæ legitime cautum, etsi non solum sit , nullo modo pro Fabrica exigatur , quia quantum ad hæredes legatum habuit effectum suum , etiam quod nuptiæ , [b] quarum causa

BALDASSINIUS.

(1) Item hæreditates , ac omnia ea , quæ a locis piis vel expresse , vel tacite repudiantur.

Cardinal Calcagnin. in Observat. Practic. legal. par. 1. Observation. 19. num. 45. & 49.

Rota in Romana Applicationis 21. Martii 1749. §. 4. coram Vicecomite.

VESPIGNANIUS.

(a) Legatum dotis debetur Fabricæ, si nominatio facta non fuit ante motam litem.

(b) Vel Puellæ ante nuptias obierint.

causa legatum fieri contigit, differantur, non debet præjudicio esse puellæ dotandæ. Si vero nominatio facta non sit, sive puella nominata moriatur, legatum pro fabrica exigatur.

§. VIII.

In omnibus legatis piis illud observetur, ut ante annum, (1) seu alium terminum a Testatore limitatum, (2) minusque ante conditionis implementum non exigantur; (3) omisso in hoc Fabricæ privilegio, quod etiam ante annum, & ante tempus a Testatore limitatum, & ante conditionis implementum exigi potest.

§. IX.

Legata etiam incerta, maxime pro exoneratione conscientiæ relicta, ita sunt Fabricæ applicata, ut etiam exacta ab Ordinariis, sibique applicata vindicari possint: Idcirco ipsis Ordinariis omnino inhibeatur, ne

E de

BALDASSINIUS.

(1) Fabrica ante annum se non ingerit.
Capon. Discept. forens. 103. n. 5.
Matanta respons. 41. n. 53. & 56. par. 1.
(2) Nisi tamen cesserit dies solutionis per Testatorem assignata.
Matanta in d. respons. 41. n. 57.
Ventrigl. in Prax. rer. notabil. tom. 2. Annot. 28. §. 2. n. 25.
(3) Legata pia ante conditionis implementum non exiguntur.
Rota in Ferratien. legati 18. Februar. 1715. §. Legata coram Card. Scotto;

de cætero in ipsis legatis se intromittant, sed eadem pro Fabrica in totum exigantur. (1)

§. X.

Volumus autem ad evitandam confusionem præmissorum omnium declarationem sibi vindicare in causis de cætero finiendis, ac in sententiis in futurum tantum proferendis, determinatis autem, ac decisis huc usque etiam in prima instantia firmis, & ratis manentibus, in quorum omnium, & singulorum fidem has per nos, & Secretarium nostrum infrascriptum subscriptas fieri, sigillique nostri jussimus, & fecimus appensione muniri. Datum Romæ in Collegio nostro anno a Nativitate Domini 1579. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorii Divina providentia Papæ XIII. anno ejus VIII.

Claudius Rovier. Secr.

Aliæ

BALDASSINIUS.

(1) Nota quod legata pro exoneratione Conscientiæ ita ad Fabricam spectant, ut ab Ordinariis si forte exacta fuissent vindicari possunt.

Maranta respons. 32. n. 1. par. 4.

Marot. Discept. forens. Cap. 1. num. 11. & per tot.

Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 248.

De Rosis Select. Jur. Observ. par. 1. Cap. 40. n. 46. & 47.

Ventrigl. in Prax. rer. notabil. tom. 2. Annot. 28. §. 2. n. 22.

Ursaya in Compend. Privileg. Fabric. S. Petri n. 24.

Cardinal. Calcagnin. in Observat. Practic. legal. par. 1. Observat. 19. n. 60.

Aliæ Declationes Anni 1589.

§. I.

HOratius Burghesius Utriusque Juris Doctor Prothonotarius Apostolicus, & Sanctissimi D. N. Papæ, & Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Fabius Blondus Patriarcha Hierosolymitanus, Bartholomæus Ferratinus Episcopus Amerinus Cancellariæ Apostolicæ Regens, & Alexander Justus utriusque Signaturæ ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Referendarius, Deputati Collegii Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe totum dictum Collegium repræsentantes, ad quorum notitiam devenit quamplures hæsitari, & dubitari a Ministris, Judicibus, & Commissariis Rev. Fabricæ Sancti Petri, quænam legata relicta incapacibus, & legatariis, & hæredibus nolentibus legata, & hæreditates acceptare, spectent, & pertineant ad Rev. Fabricam S. Petri. Propterea (1) vigore Privilegiorum dictæ Rev. Fabricæ, ac Collegio concessorum, in quibus dispositum reperitur, occurrentium interpretationem dubiorum dictorum pri-

E 2 vile-

BALDASSINIUS.

(1) Facultates Fabricæ, & Congregationis circa ejusdem privilegiorum declarationes, in dubium non revocantur.

Cardinal. Calcagnin. in Observat. Practic. legal. par. 1. Observ. 19. n.46. & 56.

Marant, respons. 21. par. 1.

Rota in Sutrina Immissionis super Compositione 17. Novembris 1727. §. 5. in fin. coram Card. Aldrovando.

vilegiorum ad nos, & propterea Collegii Præfectos ſpectare, & pertinere, harum ſerie quibuſcumque ſignificamus, & declaramus.

§. II.

Omnia legata, & hæreditates, donationes, & alias quaſcumque diſpoſitiones ad, & in favorem Fratrum Cappuccinorum, ac Minorum majoris obſervantiæ, & quorumcumque aliorum Regularium, ſive Clericorum Sæcularium, quibus ab Inſtituto Regulæ habere, & poſſidere bona, etiam in communi prohibitum eſt. Omnia legata, hæreditates, & donationes nedum in vim Inſtitutionis, ſed etiam ſubſtitutionis, & fideicommiſſi eiſdem facta, & factas ad dictam Reverendam Fabricam ſpectare, & pertinere, [1] ac ſpectaviſſe, & pertinuiſſe,

BALDASSINIUS.

(1) Relicta, & legata Incapacibus facta ipſo jure ſpectant ad Rev. Fabricam. Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 248.

Rota in Bononien. Applicationis 21. Martii 1746. §. 4. cor. Card. Millino.

Non procedit, quando Teſtator in caſu incapacitatis legatariorum expreſſe dedit ſubſtitutum.

Maranta reſponſ. 41. n. 105. par. 1.

Petra ad Conſtit. Apoſtol. tom. 2. fol. 452. n. 21.

De Luccia de Legatis Mendicant. relict. pag. 47. n. 156.

Rota in Romana, ſeu Peruſina Immiſſionis 13. Junii 1721. §. Taliter in fin. coram Cerro.

Dicta Bononien. Applicationis 21. Martii 1746. §. 5. coram Card. Millino.

Nota, quod quoad Minores majoris Obſervantiæ moderata fuit hujuſmodi facultas, ut habetur ex decretis Anni 1633. infra impreſſis, & quæ recenſentur per Marant. reſponſ. 41. n. 263. par. 1.

Piton. Diſcept. Eccleſ. 2. n. 55. cum ſeqq.

Panimolla deciſ. 60. Adnot. 3.

ſe, ſicque Privilegia, & facultates ultra eorum litteralem ſenſum, conſuetudine interpretativa ita declarata, ac pronunciata fuiſſe, prout etiam nos ex nunc prout ex tunc declaramus, & pronunciamus.

§. III.

Quod idem facimus occaſione, & cauſa quorumcumque legatorum, & hæreditatum piorum tamen [1] quibuſvis Perſonis, ac locis relictorum, & in caſum recuſationis, & non aditionis legatorum, & hæreditatum reſpective, quæ ex cauſa recuſationis, & denegatæ aditionis fiunt incerta, (2) & ex privilegio piæ cauſæ omnino in alium uſum ſunt convertenda: Propterea illa tam vigore Privilegiorum dictæ Rev. Fabricæ conceſſorum, quam etiam in vim conſuetudinis interpretativæ

BALDASSINIUS.

(1) Fabrica procedit tantum in legatis piis.
Cirocc. Diſcept. 7. n. 26.
Rota decif. 212. n. 6. coram Cavalerio.
(2) Repudiata ſpectant ad Fabricam tanquam incerta:
Marant. reſponſ. 41. n. 87. par. 1.
Cardin. Calcagnin. in Obſerv. Pract. legal. par. 1. Obſ. 19. n. 44. & 49.
Jovius de Contract. Minor. tom. 1. Gloſ. 15. §. 10. n. 245.
Rota decif. 511. n. 28. coram Cerro.
Et hoc procedit tam in legatis, quam in hæreditatibus piis non aditis.
Marantа reſponſ. 37. n. 3. par. 1.
Rota in recent. decif. 150. n. 40. par. 12.
Romana Applicationis 21, Martii 1749. §. 4. coram Vicecomite.

tivæ ea, & eas occurrentibus caſibus Rev. Fabricæ applicavimus, & incorporavimus. (1)

§. IV.

Et quoniam ſæpe contingit quamplura legata a piis Teſtatoribus fieri ad effectum celebrationis Miſſarum, recitationis Divinorum Officiorum, & erogationis eleemoſinarum, quæ cum mora, [2] & negligentia, ac avaritia hæredum, vel legatarii executa non fuerunt. Propterea Sanctus Pius V. elapſo triennio a die obitus Teſtatoris eorumdem legatorum, dimidiam Rev. Fabricæ, reliquam pio loco, cui legatum factum eſt, applicavit, & incorporavit, ut in ejus Motu proprio ſub Datum Romæ undecimo Kal. Januar. 1569. ſui Pontificatus anno quarto; Illincque obſervatum fuit, quod data moroſitate hæredis, & legatarii non petentis, adhuc

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod in hujuſmodi legatis repudiatis Fabrica ſuccedere videtur ob ceſſantem cujuslibet hæredis ſive teſtamentarii, ſive legitimi concurſum jure Fiſci, cujus Privilegia pleno jure ſortitur.

Calcagnin. in Obſervat. Practic. legal. 19. n. 6. & 38. par. 1.

Rota in Romana Cappellaniæ 14. Martii 1732. §. 4. coram Cardinal. Aldrovando.

(2) Notandum, quod data hæredis moroſitate, ſeu negligentia per locorum piorum Miniſtros commiſſa in vindicandis eorumdem Juribus, vel reſpective recuperandis Bonis ad ipſa ex piis Fidelium diſpoſitionibus ſpectantibus, Fabrica jure proprio ex Apoſtolicis Privilegiis eaſdem Pias diſpoſitiones exequitur.

Rota in Sutrina Immiſſionis ſuper Compoſitione 24. Novembris 1727. §. 2. coram Cardinal. Aldrovando.

huc non elapſo triennio quinta pars [1] cum omnibus annatis, ac fructibus, & expenſis decurſis, quæ ex quavis cauſa exequutionis legati pii fieri debuiſſent, ratione Privilegiorum antiquorum dictæ Fabricæ conceſſorum; [2] elapſo autem triennio vigore d. Motus proprii nedum quinta, ſed medietas hæreditatis, & legati una cum dictis annatis fructibus, & expenſis ratione (3) præteriti temporis, & legati non executi decurſis applicata, & incorporata fuit. Propterea ne de prædictis ullo unquam tempore dubitari contingat, & ut juſtitia indifferenter omnibus cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, miniſtretur, juſſimus, & mandavimus, hanc noſtram declarationem per Notarium noſtrum in membranis redigi, ſolitoque ſigillo ſubſignari. Datum Romæ die 18. Menſis Martii 1589.

Claudius Rovier. Secr. *Aliæ*

BALDASSINIUS.

(1) Facultas a S. Pio V. tributa Deputatis Fabricæ pro portionibus, vel quinctæ, vel medietatis exigendæ conditionalis eſt.

Maran ta reſponſ. 40. n. 40. par. 1.

Rubeus de Teſtament. Cap. 84. n. 278. 3 & 280.

(2) Nota quod Elapſo triennio non ſolum quinta, ſed medietas Fabricæ applicatur.

Lauræa in Epitom. Canon. Verb. Fabrica S. Petri.

Marant. reſponſ. 41. n. 17. par. 1.

Novar. in Summ. Bullar. Comment. 16. ſub n. 1.

Rubeus de Teſtam. Cap. 84. n. 278.

(3) Nota, quód fructus legatorum non impletorum exigit Fabrica elapſo anno.

Maranta reſponſ. 41. n. 55. par. 1.

Ventrigl. in Prax. rer. Notabil. tom. 2. Annot. 28. §. 2. n. 11.

Rota deciſ. 14. n. 7. tit. de legatis coram Cardinal. Falconerio;

Aliæ Declarationes Anni 1598.

NOS Marcellus Lantes Protonotarius Apostolicus Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Tiberius Cerasius ejusdem Sanctissimi D. N. Thesaurarius Generalis, Bartholomæus Ferratinus Episcopus Amerinus Apostolicæ Cancellariæ Regens, & Signaturæ Justitiæ Præfectus, Silvius Antonianus Cubiculi ejusdem Sanctissimi ab intimis Præfectus Deputati Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe; Inhærentes facultatibus nobis, & pro tempore Præfectis dictæ Fabricæ concessis super interpretatione dubiorum occurrentium circa Privilegia dictæ Fabricæ ad tollendas difficultates, quæ sæpe in controversiis Judiciorum coram ejus Commissariis, & Judicibus oriuntur, ac pro faciliori litium expeditione tenore præsentium infrascripta declaranda, & interpretanda duximus, videlicet.

§. I.

QUoniam juxta Privilegia eidem Reverendæ Fabricæ concessa de legatis, hæreditatibus & piis dispositi-

positionibus (1) certis ad favorem piorum locorum, Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum pro una vice, & sine onere, aut cum eo relictis, & factis, quæ intra annum ab hæredibus, seu alias gravatis realiter adimpleta non fuerunt usque ad triennium computandum a die mortis, quinta pars tantum ad ipsam Fabricam spectat; Lapso vero triennio, si adhuc adimpleta non sunt, eidem Fabricæ medietas (2) debetur. Declaramus hujusmodi medietatem pariter a die mortis dictorum Testatorum, & disponentium ipsi Fabricæ debitam esse; servandamque fore in his Bullam felic. record. Pii V. sub Datum undecimo Kal. Januarii 1569. quam generaliter de omnibus piis (3) relictis intelligendam esse significamus, & interpretamur, & prædicta etiam locum habere in similibus, quæ intra statutum a Testatore, & disponente tempus satisfacta non

F sunt,

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod Fabrica facultatem habet cognoscendi de viribus piarum dispositionum.

De Luca de legat. disc. 27. n. 3.

Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 247.

Rota in recent. decis. 322. n. 2., & seqq. par. 7.

Coram Emerix Jun. decis. 1333. n. 1.

Coram Kaunitz decis. 129. n. 6.

Applicat legata pia annua non adimpleta.

Rota in recent. decis. 333. n. 9. par. 18.

(2) Vid. pag. 22.

(3) Bulla S. Pii V. locum habet in omnibus dispositionibus piis.

Rota decis. 143. n. 3. tom. 1. coram Lancetta.

ſunt, ut eo elapſo triennium intelligatur cucurriſſe a die mortis [1].

§. II.

Annua vero pia relicta, & diſpoſita piis locis, [2] Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis certis, & nominatis cum onere celebrationis Miſſarum, Divinorum Officiorum, erogationis eleemoſinarum, aut ſimilium in perpetuum, aut ad certum tempus, ſeu ſtatutis quibuſdam diebus in anno, & hebdomada, (3) pro quorum adimplemento bona, ſeu etiam redditus perpetui, aut ad tempus relinquuntur, & hæredum, ſeu aliorum quoad id quomodolibet obligati erunt, aut tenebuntur avaritia pro præterito adimpleta cum effectu non ſunt, tunc redditur, & relicta hujuſmodi eo uſque decurſa, & rea-

BALDASSINIUS.

(1) *Vis privilegiorum Fabricæ conſiſtit in tempore*; & tempus currit a die obitus Teſtatorum, & dilatio Teſtatoris concurrit cum dilatione legis.

Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri.

Ruger. de Tribunal. Rev. Fabric. cap. 3. §. 2. n. 7.

(2) Legata facta Eccleſiaſticis perſonis ſunt pia, & cadunt ſub Privilegiis Fabricæ.

(3) Nota, quod Conſtitutio S. Pii V. de legatis certis ad favorem piorum locorum, & Eccleſiarum non intrat favore Fabricæ in legato ſimplici abſque alio onere celebrationis Miſſarum, & cæterorum onerum.

Maranta reſponſ. 97. n. 2. par. 4.

realiter non ſoluta Fabricæ (1) debeantur. In futurum vero decurrenda ipſis legatariis cum onere injuncto applicentur, ut hactenus obſervatum eſt.

§. III.

Quando vero bona, ſeu annui redditus, & introitus a Monaſteriis, Capitulis, Cappellanis, ſeu Legatariis percepti, & exacti ſunt, & percipiuntur, & exiguntur pro dicta celebratione, & Divinorum Officiorum in perpetuum, aut ad tempus, ut ſupra, & Miſſæ hujuſmodi, ac Divina Officia in totum, vel in parte ab ipſis legatariis celebratæ non fuerunt, vel celebrari deſierunt, aut etiam minime celebrantur propter ipſorum legatariorum negligentiam, ſeu impotentiam, nempe quod major ſit numerus Miſſarum, ac Divinorum Officiorum, ſic per negligentiam, ſeu impotentiam

F 2 omiſ-

BALDASSINIUS.

(1) Fabrica pro applicatione fructuum non conſiderat legatariorum impotentiam, ſed nudum tantum inadimplementi factum. Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 247.

Rota deciſ. 1309. num. 10. tom. 5. coram Molines.

Sutrina Immiſſionis ſuper Compoſitione 24. Novembris 1727. §. 4. coram Cardinal. Aldrovando.

Nota quod in adimplementum non generaliter; & de per ſe ſumptum conſideratur, ſed taxative, & relative ad culpam, ſive negligentiam legatarii, ſeu hæredis.

Rota in Romana locorum Montium ſuper Applicatione Fuctuum 2. Decembris 1715. §. Abſque, coram & ſeq. Cardinal. Scotto.

omiſſarum [1] ad Fabricam ipſam devoluta eſſe declaramus. Dantes facultatem Miniſtris a nobis deputatis, ſeu ab eis ad hæc ſpecialiter ſubſtitutis, ut cum Legatariis, aut aliis obligatis, ad quos ſpectat, ſi eis melius expedire videbitur pro præterito tantum deſuper componere valeant [2].

§. IV.

Si autem ipſi Legatarii, quibus a principio redditus, & bona hujuſmodi relicta ſunt ex Inſtituto, & obſervantia Regulæ talium relictorum incapaces erant, aut a principio quidem capaces exiſtebant, ſed propter Regulæ

BALDASSINIUS.

(1) Fabricæ S. Petri jus acquiritur, ubi legatarius Miſſarum oneri non ſatisfacit.

Maranta reſponſ. 5. n. 58. par. 1.

Pignatel. in Conſult. Canon. tom. 6. Conſ. 69. num. 1.

Rota deciſ. 1309. num. 11. tom. 5. coram Molines.

(2) Vigore hujus declarationis Fabricæ Miniſtri ſemper conſueverunt componere ſuper Miſſis non celebratis tam a Sacerdotibus Sæcularibus, quam Regularibus.

Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 248.

Ricc. in Prax. Var. Reſol. 377. pag. 481.

Ventrigl. in Prax. rer. Notabil. tom. 2. Annot. 28. §. 2. num. 12.

Rota deciſ. 1309. n. 34. tom. 5. coram Molines.

Nota, quod reductio Miſſarum omiſſarum, vel compoſitio ſuper eiſdem non aliter concedenda ſub pœna nullitatis gratiæ, niſi cum Clauſula = *Dumodo malitioſe non omiſerint animo habendi compoſitionem* =.

Girald. ad Theſaur. de Pœn. Eccleſ. par. 2. Cap. 1. Verſ. Miſſarum onera pag. 278.

Lambertin. de Synod. Diœceſ. lib. 13. Cap. 12. n. 15.

gulæ mutationem incapaces effecti sunt, inhærendo dictæ Fabricæ pivilegiis, & declarationibus alias factis sub die 18. Martii anni 1589. declaramus hujusmodi, quæ a principio personis incapacibus facta sunt, sive ex post facto incapaces sunt redditi, non ad hæredes gravatos, (1) seu alios obligatos spectare, sed uti caduca ab eis vindicari posse, (2) sed ad Fabricam ipsam nedum in vim institutionis, sed etiam substitutionis, & fideicommissi tanquam incerta effecta spectavisse, & spectare, & sub privilegiis ipsius Fabricæ compræhendi, prout etiam quæ forte ex quacumque causa a Legatariis ipsis incapacibus recusata, & non acceptata fuerunt, ac recusantur, & non acceptantur.

§. V.

BALDASSINIUS.

(1) Legata pia relicta Personis, ac locis incapacibus non fiunt caduca favore hæredum gravatorum, seu aliorum obligatorum.

Antonel. de loc. legal. lib. 1. cap. 12. n. 31.

Capon. discept. forens. 155. n. 33.

Danza Pugn. Doctor. tom. 1. tit. de legatis Piis Cap. 4. n. 1. & 2.

Fagnan. in Cap. Nimis prava sub num. 53. de Excess. Prælat.

Maranta respons. 41. num. 116. par. 1.

Rota coram Emerix. Jun. decis. 1326. n. 20.

Bononien. Applicationis 21. Martii 1746. §. 2. coram Card. Millino.

(2) Sed Fabricæ applicantur, ac si ad illa esset per Fideicommissum substituta.

Petra ad Constit. Apostol. tom. 2. fol. 451. n. 19.

Rota in recent. decis. 150. n. 41. par. 12.

Sutrina Immissionis super Compositione 17. Novembris 1727. §. 2. coram Card. Aldrovando.

Dicta Bononien. Applicationis in d. §. 2.

§. V.

Similiter annua pia legata pro pauperibus puellis nuptui tradendis, quæ amore Dei, seu alias ratione animæ non affectu sanguinis, aut remunerationis servitiorum facta erant, si per aliquot annos ab hæredibus, aut aliis gravatis neglecta fuerint, nec effectualiter persoluta, seu depositata, etsi forte per dictos hæredes, aut gravatos hujusmodi puellæ electio facta foret pro annis, & temporibus decursis ad Fabricam ipsam pertinere declaramus (a). Decurrenda vero in futurum pro pauperibus hujusmodi puellis maritandis etiam antea electis, ut præfertur integra concedantur, nisi in totum incerta (1) essent, itaut ad Fabricam juxta Privilegia omnino spectarent. Prout & eidem Fabricæ competunt omnia alia pia legata incerta, & maxime pro male ablatis relicta; ita ut etiam ab Ordinariis locorum, si forte ad eos pervenerint vindicari valeant juxta privilegia prædicta.

§. VI.

VESPIGNANIUS.

(a) Nota, quod quando facta fuit electio puellæ dotandæ ante motam litem per Fabricam, etiamsi nuptiæ adhuc sequutæ non fuerint Fabrica non exigit legatum hujusmodi, quia est jus quæsitum ante motam litem eidem Puellæ.

BALDASSINIUS.

(1) Fabrica persequitur incerta, quæve omnino incerta sunt, & in totum. Maranta respons. 25. n. 29. par. 5.

Hodie de Stylo Sac. Congregationis hujusmodi incertitudinis rigor fuit omissus, imo Fabrica curat non applicationem, sed executionem legatorum talium dotium etiam in certis puellis factorum.

Rota in Nuperrim. decis. 82. n. 5. & decis. 304: n. 2. tom. 1.

§. VI.

Inſuper quia, ut accepimus, ſæpe hujuſmodi legata, & piæ diſpoſitiones pro conſtructione Monaſteriorum, Hoſpitalium, Cappellarum, aut pro ſubſtentatione Eccleſiaſticarum perſonarum, Sæcularium, ſeu Regularium tam Virorum, quam Mulierum, & ſimilium, nec intra, vel poſt triennium hæredes ea adimplere curant, ex quibus, ſi quinta, aut medietas reſpective pro Fabrica detrahatur, opera ipſa aut in totum negliguntur, aut ſine debita perfectione inchoata remanent, nec defunctorum voluntas, ut par eſt, obſervetur; quout huic incommodo, quantum fieri poteſt occurramus, & hæredibus, ac aliis obligatis omnis fraudis occaſio auferatur, dum hujuſmodi legatorum ſolutionem, & executionem procraſtinari ſolent, ut interim dictorum piorum relictorum fructus percipiant, ad quorum reſtitutionem non teneri prætendunt, & per capitalis ſolutionem ſatisfeciſſe. Teſtatorum voluntati contendunt. Idcirco declaramus dictos hæredes, ſeu alios gravatos (1) teneri, & obligatos exiſtere ad fructus hujuſmodi legatorum perſolvendos a die mortis, quos rea-

BALDASSINIUS.

(1) Gravati ad ſolvenda legata pro conſtructione Eccleſiarum tenentur ad fructus, qui percipi potuerunt, & eſt privilegium piæ cauſæ.

Marant. reſponſ. 13. n. 31. par. 1.

Urſaya in Compend. Privileg. Fabric. n. 32.

realiter ex re legata, seu alias relicta perceperunt, aut percipere potuerunt, si res hujusmodi sui natura, aut alias fructifera sit, ita tamen, ut imposterum (1) Fabricæ non quinta, aut medietas relicti, sed fructus ipsi talis relicti persolvantur. Legatum vero ipsum integrum pro perfectione dicti pii relicti consignetur, & reservetur.

§. VII.

Præterea, quia sæpe contingit pia hujusmodi legata, & dispositiones pro constructione Monasteriorum, Hospitalium, seu Ecclesiarum, ac similium relictorum debitæ executioni demandari non posse, propter aliquod facti, vel juris impedimentum, quia nempe pecunia relicta ad constructionem Monasteriorum non sufficit, aut in loco a Testatore designato ædificari non potest, seu etiam licentia ab Episcopo, seu alio Superiore obtineri nequit: Cum æquum non sit, ut pium opus hujusmodi propterea deseratur, sed potius in aliud de jure commutandum veniat. Declaramus, ut gravatis certus competens terminus præfigatur arbitrio judicum

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod Fabrica non exigit quintam, vel medietatem, quando deductione peracta legatum exequi non potest.

Ventrigl. in Prax. rer. Notabil. tom. 2. Annot. 28. §. 2. n. 23.

cum pro impedimentis (1) hujusmodi realiter, & cum effectu removendis, aut pro obtinenda a Sede Apostolica commutatione talis relicti pii, & dispositionis, quod si terminus (2) elapsus, & impedimenta remota non fuerint, aut commutatio obtenta non sit, tunc legatum ipsum integraliter a Fabrica exigatur, perinde ac si ad Fabricæ utilitatem devolutio facta fuisset.

§. VIII.

Cum vero interdum eo usque habendi cupiditas excrescat, & non vereantur multi hæredes, & legatarii scripturas falsas fabricare, priores datas confingere, aut alias Fabricam ipsam defraudare. Declaramus contra hujusmodi falsarios, complices, aut quovis modo

G cul-

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod quando legata pro constructione Monasteriorum, vel similium non possunt exequi ad formam præcisam a Testatoribus ordinatam præfigitur terminus ad impetrandam commutationem a Papa, ante quam ad applicationem procedatur.

Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 249.

Rota in recent. decis. 7. n. 13. par. 11.

Coram Cavalerio decis. 212. Vers. Nec etiam.

Coram Celso decis. 78. n. 11.

Coram Molines decis. 1309. n. 5. tom. 5.

(2) Fabrica elapso termino & impedimentis non sublatis applicat ad sui favorem tam fructus in præteritum ex capitalibus perceptos, quam etiam ipsamet Capitalia.

De Luccia de legat. mendicat. relict. pag. 95. vers. Nec etiam.

Rota in Sutrina Immissionis super Compositione 24. Novembris 1727. §. 7. & seq. coram Cardinal. Aldrovando.

culpabiles omnibus juris, & facti remediis procedi debere, etiam declarando eos in censuras Ecclesiasticas, (1) & pœnas incidisse mulctas, & pœnas ad Fabricæ utilitatem convertendas fore juxta ejusdem Fabricæ privilegia.

§. IX.

Tandem teneri hæredes, qui intra statuta a jure tempora bonorum hæreditariorum legitima inventaria (2) non confecerunt ad integram solutionem faciendam legatorum, & piorum relictorum, quoties juxta Fabricæ Privilegia in foro judiciali conventi fuerint, neque sub prætextu, quod hæreditas solvendo non sit excusari posse, quominus etiam ultra vires hæreditarias teneantur. Cum enim sine Inventarii (3) confectione hæreditates adeundo, aut in eis se ipsos immiscendo, cum legatariis quasi contraxisse videantur, non debent beneficio legis perfrui, quam contemnendam esse

BALDASSINIUS.

(1) Contra falsarios, & fraudantes fabricam, juris, & facti remediis procedi potest.

Ursaya in Compend. Privileg. Fabric. S. Petri n. 36.

(2) Hæredes non conficientes Inventarium tenentur de proprio ad legatorum piorum solutionem.

Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 249.

Ursaya in Compend. Privileg. Fabric. S. Petri n. 37.

(3) Nota, quod pendente Inventarii confectione, & hæreditate nondum adita Fabrica non potest se intromittere.

Barbos. de Jur. Eccles. par. 3. cap. 27. n. 82.


Novar. in Summ. Bullar. par. 2. Comment. 67. n. 17.

esse censuerunt, nisi a Sanctissimo Domino Nostro restitutionem in integrum adversus lapsum temporis ad inventarii confectionem forsan obtinuerint.

§. X.

Ne autem de prædictis ullo unquam tempore dubitari contingat, & ut justitia indifferenter omnibus cujuscumque gradus, & conditionis existant ministretur jussimus, & mandavimus hanc nostram declarationem per Secretarium nostrum in membranis redigi, solitoque sigillo subsignari. Datum Romæ die 26. Mensis Martii 1598. Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ VIII. anno ejus septimo.

Claudius Rovier. Secret.



DECRETUM

Sacræ Congregationis Reverendæ Fabricæ S. Petri

Quod non obstante prohibitione Testatorum possit Fabrica pias dispositiones exequi facere. Die 18. Martii 1626.

Reverendissimus D. Thesaurarius nomine Sanctissimi retulit, mentem Sanctitatis Suæ esse, quod facultates fabricæ non revocentur in dubium, quin possit juxta suas facultates procedere, & exequi facere legata pia, non obstante quacumque prohibitione Testatorum, & aliorum, quin in eis possit se intromittere, illaque exequi facere, & ita servari, prout Domini ita servari mandarunt (1). DE-

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod Fabrica exequi potest legata pia non obstante prohibitione Testatorum.

De Angelis super 1. & 2. Codic. Authent. Licet Cod. de Episcop., & Cleric. n. 3. fol. 71.

Card. de Luc. de Relat. Rom. Cur. disc. 20. n. 30.

De Luceia de legat. Mendicant. relict. pag. 17. n. 56. & pag. 163. n. 420.

Rovit. in Pragmat. de legatis piis n. 5.

De Marinis in Resol. jur. cap. 224. n. 7.

Novar. Quæst. forens. 91. n. 10.

De Rosis Select. Jur. Observat. par. 1. Cap. 40. n. 30.

Procedit etiamsi Testator legata non amplius pia declararet.

Alphons. de Leon. de Censur. recol. 4. sub Vers. Ultimas Voluntates Col. 2. fol. 399.

Rubeus de Testament. Cap. 90. n. 320. & seq.

Squillant. de Oblig. & Privileg. Episcop. par. 1. cap. 16. n. 17. & seqq.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Reverendæ Fabricæ S. Petri

Super Legatis relictis pro exoneratione conscientiæ. Die Lunæ 21. Junii 1627.

NE ullo unquam tempore dubitari contingat, an relicta pro exoneratione conscientiæ spectent ad Fabricam, in illiusque Privilegiis, & facultatibus comprehendantur; Ideo Illustrissimi Domini ad tollendum omne dubium, & justis de causis moti vigore facultatis huic Sacræ Congregationi Apostolica auctoritate attributæ declarandi facultates eidem Rev. Fabricæ concessas, & alias omni &c.

Declararunt dicta Legata relicta, & relinquenda pro exoneratione conscientiæ ad ipsam Fabricam pertinere, & comprehendi sub illius facultatibus ad instar legatorum pro male ablatis (1), & ita servari mandarunt.

DE-

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod legata facta pro exoneratione conscientiæ; habentur perinde ac si facta essent pro male ablatis.

Marot. Discept. forens. cap: 1. n. 11. & per tot.

De Rosis Select. Jur. Observat. par. 1. Cap. 46. n. 47. & 47.

DECRETA

DIVERSA

Super pertinentia Legatorum pro male ablatis in favorem Rev. Fabricæ Sancti Petri.

Ex declarationibus ab Illustrissimis Deputatis Reverendæ Fabricæ factis de Anno 1579.

LEgata incerta maxime pro exoneratione conscientiæ ita sunt Fabricæ applicata, ut etiam exacta ab Ordinariis (1) sibi applicata vindicari possint. Idcirco ipsis Ordinariis omnino inhibeatur, ne de cætero in ipsis Legatis se intromittant, sed eadem pro Fabrica in totum exigantur.

VOTUM

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod legata pro male ablatis etiamsi relicta sint pro exoneratione conscientiæ, tamen ab Ordinariis si forte exacta fuissent, vindicari possunt.

Cardinal. Calcagnin. in Observat. Practic. legal. par. 1. Observ. 19. n. 60.
Maranta respons. 32. n. 1. par. 4.
Quaranta in Summ. Bullar. Verb. Fabrica S. Petri pag. 248.
Ursaya in Compend. Privileg. Fabric. S. Petri n. 24.

VOTUM

BON. MEMOR.

EMINENTISSIMI DOMINI

CARDINALIS CAVALERII

Tunc Sacræ Rotæ Auditoris, & Sacræ Congregationis Fabricæ Prælati in Causa Neapolitana Legatorum pro male ablatis.

Illmi, e Revmi Signori.

HO' veduto l'Editto da publicarsi in Napoli sopra li legati *pro male ablatis*, e vedute tutte le Scritture, e lettere scritte in questo negozio con le risposte ancora del Signor Cardinale Caraffa, ed anco le Bolle della Fabrica, e dichiarazioni degli anni del 79. e del 98., e riferisco trovarsi nella Bolla di Clemente Settimo dell'anno 1525. (1) le seguenti parole: *Nec non super male ablatis incertis, vel per usurariam pravitatem quæsitis, etiam certis, quæ faeneratur ab alio Fæneratore extorsisset, & quæ ipse requisitus usuras restituere paratus non esset, vel alicui privatæ Ecclesiæ deberentur &c.* e più a basso nella medesima Bolla = *ac quæ-*

(1) Constit. 9. Bullar. nov. Clem. VII.

quæcumque legata, & alias quomodolibet hæreditatis titulo pro male ablatorum restitutione relicta hactenus, & quæ relinqui, & largiri contigerit in futurum &c. e nelle dichiarazioni del 1579. = *Legata incerta maxime pro exoneratione conscientiæ relicta, ita sunt Fabricæ applicata, ut etiam exacta ab Ordinariis, sibique applicata vindicari possint; Idcirco ipsis Ordinariis omnino inhibeatur, ne de cætero in ipsis legatis se intromittant, sed eadem pro Fabrica in totum exigantur &c.* Ed in quella del 1598. *Prout etiam eidem Fabricæ competunt omnia alia pia legata incerta, & maxime pro male ablatis relicta; itaut etiam ab Ordinariis locorum, si forte ad eos pervenerint vindicari valeant juxta privilegia prædicta &c.* E se bene il Signor Cardinale Caraffa Arcivescovo di Napoli diede Memoriale in Congregazione alli *6. di Decembre* 1619. proposto dall'altro Economo, nel quale domandava, che si lasciassero riscuotere alla sua Chiesa li Legati lasciati a lei *pro male ablatis*, e la Congregazione rescrisse a tergo del Memoriale, che il Reviglione non molestasse più quelli del Ceppo, e se ha altro in contrario avvisasse, la qual condizione di Segretario nel scrivere la lettera fu taciuta, ma detto solamente, che non molestasse, come ho veduto nella lettera originale, e con questo equivoco l'Arcivescovo ha riscosso; Con tutto ciò *alli* 30. *di Marzo* 1622. l' Economo presente parlò di questo negozio, e lette le sudette Bolle, e dichiarazioni fù dalle Si-

Signorie Vostre Illustrissime ordinato si scrivesse al Signor Cardinale Caraffa, che non si valesse di detta autorità, ed al Reviglione, che non glie la permettesse, e caso, che non si fosse acquietato, gli fossero mostrate le facoltà, e possesso del Tribunale, e se bene il Sig. Cardinale rispose, e se li replicò, e parve si acquietasse; Contuttociò gli Economi della Chiesa di Napoli non cessano di fare affigere Editti, acciò se gli paghino detti Legati; Al che è parso a quelli Signori del Tribunale in Napoli provedere con la publicazione dell'Editto, che hò veduto, e pare secondo il mio giudizio, che sia ben fatto. Il che riferisco alle Signorie Vostre Illustrissime con quella riverenza, che devo, rimettendomi sempre al lor migliore, e più prudente parere.

Umo, e Dmo Ser.
Giacomo del Cavaliere.

Ex Congregatione Generali Rev. Fabricæ. Die 28. Martii 1623.

HAvendo Monsignor del Cavaliere fatto relazione, che l'Editto, che si dee publicare in Napoli sopra li legati *pro male ablatis*, e conforme alle facoltà della Fabrica: Però si è ordinato, che si mandi al Reviglione, acciò lo faccia stampare, e publicare, dove bisognerà.

Ex Congregatione Generali Rev. Fabricæ 10. *Septembris* 1625.

NEapolitana in Causa legatorum *pro male ablatis*. Domini approbarunt, & confirmarunt Edictum alias de Voto Reverendissimi Domini Cavalerii, & approbatione, ac jussu Sacræ Congregationis emanatum, & in Civitate Neapolitana impressum, & publicatum sub die 11. Februarii 1623. illudque denuo quatenus opus sit imprimi, publicari, & exequi mandarunt, non tamen quoad legata, quæ vel certis Ecclesiis, vel nominatis personis pro restitutione injuste ablatorum iisdem Ecclesiis, vel personis a Testatoribus, qui antea illorum bona administraverint, (a) vel illos alias constet esse debitores non *pro male ablatis* in genere relinqui contigerit.

7. *Septembris* 1651.

CApitulo Metropolitanæ Cusentinæ prætendente non teneri ad solutionem, seu restitutionem Legatorum pro male ablatis relictorum contra Fabricam. Emi-

VESPIGNANIUS.

(a) Notandum est, quod nunquam comprehendantur administratores, quia est restitutio debiti certi.

nentiſſimi Domini Capitulo deſuper impoſuerunt perpetuum ſilentium, & mandarunt per Fabricam liberè exigi, & repeti reſpective juxta ſolitas ſuas facultates (1).

BALDASSINIUS.

(1) Legata pro male ablatis Fabricæ applicactur.
Danza Pugn. Doctor. tom. 1. tit. de legatis Piis cap. 4. num. 1.
Maranta reſponſ. 83. num. 92. par. 1.
Maroz. Diſcept. for. cap. 1. num. 1. & 33.
Rubeus de Teſtam. cap. 81. num. 76. & ſeqq. & n. 90.
Rota deciſ. 212. num. 6. coram Cavalerio.
Coram Celſo deciſ. 78. num. 10.



INQUISITORES

ET CÆTERI OFFICIALES SANCTI OFFITII

Prout etiam Miniſtri Camerales poſſunt conveniri in Tribunali Rev. Fabricæ in cauſis concernentibus intereſſe ejuſdem Fabricæ.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Supremæ Inquiſitionis S. Offitii.

Emanatum in Congregatione habita coram Sa. Me. Urbano VIII. die 18. Auguſti 1639. in una Melevitana.

Relata controverſia orta inter Inquiſitorem Melevitanum, & Paulum Teſtaferratam Fiſcalem S.Offitii in Inſula Melevitana ex una, & Commiſſarium Fabricæ S. Petri in eadem inſula partibus ex altera de, & ſuper cognitione cauſarum familiarium S. Offitii ad prædictam Fabricam ſpectantium, Sanctiſſimus auditis votis decrevit, dictum Fiſcalem, Officiales, Miniſtros, & familiares Sancti Offitii non gaudere privilegiis fori in cau-
ſis

ſis (1) concernentibus intereſſe Fabricæ Sancti Petri, ſed eos obligatos eſſe reſpondere coram eodem Commiſſario Fabricæ, a quo ſi ſenſerint gravati, recurrant ad inquiſitorem uti Delegatum Apoſtolicum.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Reverendæ Fabricæ S. Petri.

Quod OEconomus generalis debeat citari in Cauſis in Curia pendentibus ad Sententiam tantum. Die 5. Octobris 1589.

OEconomos Fabricæ decerni, ne in futurum feratur aliqua ſententia contra Fabricam, niſi citato Oeconomo ſub pœna nullitatis.

Decret. Ad Sententiam tantum.

DE-

(1) Familiares Supremæ Inquiſitionis Fori privilegio non gaudent in Cauſis intereſſe Fabricæ, ſed ſi fuerint gravati remedio appellationis adire poſſunt Inquiſitorem.

Cardinal. Albicius de inconſt. in Fide cap. 29. n. 64.

Cardinal. Calcagnin. in Obſervat. Practic. legal. par. 1. Obſerv. 19. n. 16.

Maranta reſponſ. 20. n. 78. par. 1. & reſponſ. 68. n. 11. par. 3.

Pignatel. in Conſult. Canon. tom. 8. Conſult. 112. n. 2.

Et die 23. Auguſti 1674. coram SSmo in Cauſa Neapolitana fuit confirmatum.

DECRETUM

Quod participationes, & emolumenta Procuratorum Fabricæ reducantur ad quintam portionem. Die 15. Martii 1584.

OEconomo Fabricæ. Reduci portiones omnium Procuratorum ejusdem Reverendæ Fabricæ ad rationem viginti pro centenario.

Decret. Reducantur portiones omnium Procuratorum ad rationem viginti pro centenario.

DECRETUM

Quod Legatarii non possunt concedere dilationes Debitoribus Legatorum in præjudicium Reverendæ Fabricæ.

Ex Libro Decretorum Sacræ Congregationis Generalis Reverendæ Fabricæ habita sub die 14. Januarii 1630.

FAbrica. Contra Debitores Legatorum; An per Legatarios possit debitoribus legatorum concedi dilatio in præjudicium Fabricæ, seu potius non obstantibus eorum dilationibus possit Fabrica juxta suas facultates contra debitores procedere. Eminentissimi Domini

mini declararunt licere Fabricæ contra debitores legatorum, ſeu cujuſvis alterius tituli, & cauſæ, in qua agitur de jure, & intereſſe ipſius Fabricæ procedere juxta ſuas facultates, non obſtante quacumque legatariorum, ſeu aliorum dilatione, & conventione, eidem Fabricæ præjudiciali. Datum hac die 14. Januarii 1630.

Ex Congregatione Generali Rev. Fabricæ S. Petri habita die Lunæ 31. Maii 1638.

DECRETUM

Super acceptationibus Legatorum cum reſervationibus non admittendis.

COmmiſſariis Fabricæ certiorantibus Sacram Congregationem, quod plura loca pia, ac Legatarii, quibus ſunt facta legata (1) cum oneribus perpetuis, interpellati nomine Fabricæ ad declarandum, an velint acceptare eadem legata cum oneribus injunctis. Declarant, ſe velle quidem legata acceptare, non cum oneribus injunctis, ſed ſecundum moderationem per Superio-

BALDASSINIUS.

(1) Legatarii poſſunt per Commiſſarios cogi ad declarandum ſimpliciter, etſi in termino præfigendo non declaraverint, Fabricæ applicantur legata.

Urſaya in Compend. Privileg. Fabric. n. 147.

Rota in Sutrina Immiſſionis ſuper Compoſitione 24. Novembris 1727. §. 5. coram Cardinal. Aldrovando.

periores obtinendam, & ideo petentibus; An similes declarationes, & reductiones per Sacram Congregationem Concilii obtentas admittere debeant; Eminentissimi Domini dixerunt, posse Commissarios Legatarios cogere ad declarandum simpliciter, etsi in termino eis per Commissarios simpliciter præfigendo non declaraverint, vel de legitimis reductionibus, antequam Fabrica super iisdem legatis manus apposuerit, obtentis, non docuerint, posse Commissarios talia legata Fabricæ applicare juxta illius facultates, & privilegia. Nec reductiones postquam Fabrica legatarios judicialitèr convenerit obtentas, ipsi Fabricæ præjudicare (1). Cum eadem Sacra Congregatio Concilii sæpius declaraverit suæ intentionis non esse, juri Fabricæ quæsito, & non expresso, mediantibus similibus reductionibus præjudicandi. Dat. hac die 31. Maii 1638.

DE-

BALDASSINIUS.

(1) Notandum quoque est, quod nec hæredes, vel legatarii possunt de proprio supplere legata post jus quæsitum Fabricæ, maxime post annum, & post motam litem, quia est tollere jus Fabricæ.

Marant. respons. 37. in fin. par. 1.

Rota in Sutrina Immissionis super Compositione 24. Novembris 1727. in d. §. 5. coram Cardinal. Aldrovando.

Possunt tamen intra Annum impetrare commutationes a S. Sede Apostolica;

Ruger. de Tribunal. Rev. Fabric. Lib. 2. cap. 3. §. 2. n. 12.

Vel supplere eorum arbitrio; *nam vis privilegiorum R. Fabricæ consistit in tempore*.

Ursaya Discept. Eccles. tom. 7. par. 2. discept. 13. n. 17.

DECRETUM

Quod in Tribunali Rev. Fabricæ servetur taxa Vicarii Urbis. Die 6. Septembris 1638.

NOtario & Secretario Fabricæ petenti fieri novam taxam pro ejus Officio. Eminentissimi Domini mandarunt servari omnino Taxam Vicarii juxta Decreta alias facta.

DECRETUM

Quod instrumenta interesse Reverendæ Fabricæ concernentia non subjaceant edictis Archivii Urbani; dicta die 6. Sept. 1638.

EOdem Notario petenti mandari non molestari a Ministris Archivii Urbani pro asportatione copiarum Instrumentorum ad dictum Archivum. Oeconomus alloquatur Dominum Julium Donatum: & interim nihil innovari quoad Instrumenta concernentia interesse Fabricæ, quoad ea verò, de quibus idem Notarius fuit rogatus, non pro interesse Fabricæ, sed tanquam quilibet alius Notarius extraneus, serventur Bannimenta, & ordinationes Archivii.

DECRETUM

Super Avocatione Causarum interesse Fabricæ concernentium, etiam a Sacra Rota.
Die 20. *Julii* 1630.

FAbrica, & litis consortibus contra occupatores bonorum q. Pauli Palloni, Avocari causam a Rota, attento quod agitur de interesse Fabricæ.

Et die 14. *Februarii* 1633.

Fabrica, & Dominico Lavachia contra Creditores q. Michaelis Floretti, & alios petente committi D. Judici, ut quatenus opus sit, causam a Rota (1) avocet, illamque pro justitia expediat.

Eminentissimi Domini in vim facultatum Fabricæ, causam, & causas prædictas a Rota pro interesse Fabricæ eidem Domino Judici pro justitia cum facultatibus necessariis, commiserunt.

DE-

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod Fabrica quando de ipsius interesse agitur avocat causam a Sacra Rota.

Cardinal. Calcagnin. in Observat. Practic. legal. Observat. 19. n. 3. par. 1. Ursaya in Compend. privileg. Fabricæ S. Petri n. 151.

DECRETUM

In Causa Criminali in Congregatione Generali habita die 5. Aprilis 1620.

A Monsignore Vicelegato di viterbo si scrive, che faccia scarcerare il Commissario Andrea Sebastiani carcerato dal Cialli Vicario di Monte Fiascone, e facci ponere prigione detto Vicario, e lo mandi carcerato a Roma, poichè ha violato la giurisdizione della Fabrica. Ed il detto Andrea Sebastiani dia sigurtà di comparire subito in Roma a presentarsi avanti il Signore Cardinale Prefetto.

ALIUD

DECRETUM

In Causa Criminali. Die 27. Julii 1640. In Congregatione Generali Rev. Fabricæ.

SOcietate Sanctissimi Corporis Christi Castri Smerilli, & litis consortibus contra Guidobaldum Petiam. Reassumi, & inhiberi Domino Marescotto, ne procedat in Causa Criminali super prætensa falsitate donationis, de qua agitur.

Ad Dominum Judicem Fabricæ, qui reassumat, & inhibeat.

ALIUD


DECRETUM

In Causa Criminali.

IN Causa Romana prætensarum Injuriarum, & deturpationis Domus: Inter Fiscum N. querelantem ex una, & Dominum N. Procuratorem Rev. Fabricæ carceratum, & Franciscum ejus filium ex altera, pendente coram Domino Locumtenente Criminali Eminentissimi Cardinalis Vicarii per acta Valentini.

Die 27. Octobris 1646.

Sacra Congregatio Rev. Fabricæ S. Petri in statu, & terminis deputavit Dominum Justinum Gentilem, qui procedat tanquam Judex deputatus, & per acta Notarii ejusdem Sac. Congregationis cum facultatibus necessariis, & opportunis &c.



DE-

DECRETUM

Quod non fiat Compositio cum Legatariis, qui legata repudiarunt. Die 7. Decembris 1637. In Congregatione Generali.

Oeconomo Reverendæ Fabricæ contra Legatarios cum onere: Petentibus eis illa repudiantibus concedi aliquam ratam eorundem legatorum absque onere.

Eminentissimi Domini mandarunt, eis nullo modo concedi ratam aliquam dictorum legatorum; sed per eos illa acceptanda esse, prout cantant, vel libere dimittant, & ita inviolabiliter observari.

DECRETUM

Quod Procuratores Fabricæ non audeant emere bona stabilia Reverendæ Fabricæ. Die 19. Jnuarii 1637. In Congregat. Generali.

INjunctum fuit Procuratoribus Fabricæ ne sub pœna nullitatis in futurum audeant emere bona quæcumque stabilia ad Fabricam spectantia (1).

DE-

BALDASSINIUS.

(1) Ursaya in Compend. Privileg. Fabricæ S. Petri n. 160.

DECRETUM

Quod gratiæ ſuper compoſitionibus ſiendis ſint nullæ, ſi intra menſem debitæ exequutioni non mandentur. Die 15. Febr. 1635. In Congregatione Generali.

OEconomo Fabricæ ſevari Decretum ſuper compoſitionibus ſub die 20. Septembris 1614. ab hac Sacra Congregatione factum tenoris videlicet.

Compoſitiones factæ, & impoſterum faciendæ, ſi infra Menſem non adimpleantur, illarum gratia ſit nulla, & procedatur ad exequutionem totius ſummæ; Servetur, & exequutioni demandetur. (1)

DECRETUM

Quod Fabrica non poſſit impedire celebrationem Miſſarum de præterito non adimpletarum, niſi a die judicialis interpellationis. Die 10. Decembris 1629. In Congregatione Generali.

PEtente Domino Rovigliono, an liceat Legatariis, qui intra certum tempus debebant celebrari facere

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod gratiæ ſuper compoſitionibus faciendis ſunt nullæ, ſi intra Menſem non exequantur.

Urſaya in Compend. Privileg. Fabricæ S. Petri n. 130.

re Miſſas ; illo elapſo, poſſint eas celebrari facere; ſeu potius pro Miſſis non celebratis poſſit Fabrica illis prohibere, ne illas ulterius dicant, & pro ſe eleemoſinas Miſſarum intra dictum tempus non celebratarum exigere, & retinere.

Reſponderunt Eminentiſſimi Domini, licere etiam poſt lapſum tempus illas celebrare, donec a Fabrica non fuerint judicialiter interpellati. (1)

DECRETUM

Quod nullus ex Miniſtris Fabricæ audeat ſe ſe intromittere in Appaltibus ejuſdem Fabricæ ſub pœna privationis, & aliarum arbitrio Sacræ Congreg. Die 15. Maii 1612.

NEſſuno Officiale, o Miniſtro della Rev. Fabrica ſi poſſa intromettere negli Appalti di detta Fabrica, e quelli, che vi ſono ſi levino; ſotto pena della privazione dell'Officio, & altre pene arbitrarie della Sacra Congregazione.

DE-

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod non ſit locus Fabricæ Privilegiis, niſi legatarii fuerint prius moniti, & interpellati.

Rota in Romana Locorum Montium ſuper applicatione Fructuum 2. Decembris 1715. §. Final. coram Cardinal. Scotto.

DECRETUM

Super præventione inter Procuratores Rev. Fabricæ Die 15. Septembris 1636.

FUit dictum servari Decretum Eminentissimi Cardinalis Vidoni, videlicet.

Quod Procurator, qui primo scripsit in libro testamentorum habeat præventionem in causa, dumodo particulam veram, & substantialem testamenti descripserit.



DE-

DECRETA

Sacræ Congregationis Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe prohibentia Officialibus, & Miniſtris, ne aliquid recipiant ab exhibentibus adimplementa, & quietantias legatorum piorum.

In Congregatione Generali Rev. Fabricæ S. Petri habita de more in Palatio Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Decani die Sabbati 25. Septembris 1632. inter cætera fuit decretum prout infra videlicet.

OEconomo Fabricæ petente provideri indebitis Commiſſariorum vexationibus, quas partibus, quæ jam legata pia per eas debita adimpleverunt, illorumque adimplementum oſtendunt, & nihilominus ab eis ſemel, & pluries contra formam Ordinationum hujus Sacræ Congregationis, & Inſtructionum pecunias extorquent pro interponendis decretis ſuper viſione, & approbatione quietantiarum, quas illis partes exhibent.

Eminentiſſimi Domini prohibuerunt Commiſſariis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ne aliquid a dictis partibus etiam conventis, & quietantias exhibentibus, aut pro dicta exhibitione, aut Decreto, aut alio quovis

prætextu recipiant, (1) quod si contra fecerit, illud totum iisdem partibus restituant, & restituere compellantur, & præmissa ab omnibus, quorum interest inviolabiliter servari mandarunt omni &c.

Et in alia Congregatione generali habita ubi supra die Sabbati 13. Novembris ejusdem anni inter alia fuit decretum prout infra, videlicet.

Et in alia Congregatione Generali habita ubi supra die Sabbati 13. Novembris ejusdem anni inter alia fuit decretum prout infra, uidelicet.

Eminentissimi Domini confirmando Decretum in præcedenti Congregatione factum contra Commissarios extorquentes pecunias ab his, qui jam legata adimpleverunt, non solum mandarunt, dictos Commissarios compelli ad restitutionem illius, quod a prædictis extorsissent, sed amplius illos eorum officio privarunt, & privant, & hæc significari mandarunt etiam Revilio-no, ut tales Commissarii prædictis contrafacientes, etiam pœna dictæ privationis puniri possint, omni &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Collegio ejusdem Fabricæ dicta die 13. Novembris 1632.

BALDASSINIUS.

PROHI-

(1) Nota, quod exhibita quietantia per eos, qui gravati sunt legata pia solvere, seu alia scriptura, per quam satisfactio probetur coram Fabricæ Commissario, nihil prorsus est eidem persolvendum pro hujusmodi absolutionis, ac liberationis decreto.

Monacel. in Formul.legal. For.Eccles.tom,2. Formul.17. tit.15.p.197.sub n.7.


PROHIBITIONES

Sacræ Congregationis Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe, ejus Officialibus, & Ministris, ne ab his, qui legata pia adimpleverunt, & adimplementa ostendunt aliquid exigant.

Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Fabricæ Præfecti una cum Reverendissimis ejus Prælatis in ejusdem Fabricæ Congregatione de more habita in Palatio Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Decani die 23. Maii 1633. prohibuerunt Reviliono, Commissariis, & aliis quibusvis Officialibus, & Ministris Fabricæ, ne sub pæna restitutionis, aliisque arbitrio Sacræ Congregationis aliquid exigant, vel recipiant prætextu quarumvis expensarum, viaticorum, actorum, & mandatorum, aut aliorum emolumentorum a debitoribus Legatorum piorum conventis in Tribunali Fabricæ, quidicta legata adimpleverint, illorumque adimplementa, & satisfactiones ostendant, non obstante, quod contra eos pro dictis legatis a Judicibus, Commissariis, aut aliis Ministris Fabricæ fuisset relaxatum mandatum. Et ita inviolabiter observari mandarunt.

Et in altera ejusdem Fabricæ Congregatione habita sub die 13. Junii ejusdem anni.

Iidem Emi, & Rmi Cardinales una cum Reverendissimis ejus Prælatis mandarunt servari supradictam prohibitionem, quod ab his, qui legata adimpleverunt, & adimplementa ostendunt, nihil penitus exigatur. Et hæc omnia in Officiis Fabricæ, ac etiam in Instructionibus Commissariorum annotari, ne de his prætendatur ignorantia, & ab omnibus inviolabiliter observari. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Collegio dictæ Fabricæ die 14. Mensis Junii 1633.



DE-

DECRETO

Da ſervarſi nel fulminare le Cenſure nel Tribunale della Fabrica di Napoli.

NON ſi poſſa procedere nel Tribunale della Fabrica tanto in Napoli, come fuori alle Cenſure (1) per ſomma, che non ecceda venti ducati, e prima non ſieno ſtati legitimamente condannati li Debitori, e rilaſciati i mandati contro di loro, e fatte le debite diligenze di eſeguirli, e non ſi trovando, o potendo eſeguire,

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod excommunicatio non eſt ferenda niſi in ſubſidium.
Genuenſ. Prax.Cur.Archiep. Cap. 26. n.4., & in Practicab.Eccl. Qu.731. n.6.
Marant. reſponſ. 53. n. 25. cum ſeqq. par. 4.
Petra ad Conſtit. Apoſtol. tom. 1. n. 27. fol. 203.
Tranchedin. Conſult. 21. n. 33. tom. 2.
Rota deciſ. 82. n. 3. coram Anſaldo.
Coram Caprara deciſ. 414. n. 4.
Quando nempe executio realis, vel perſonalis haberi non poteſt.
Antonel. de Tempor. legal. Cap. 39. n. 7.
Ciarlin. Controv. Forenſ. 50. n. 43.
De Luca in Annot. ad Concil. Trident. diſc. 74. n. 6.
Franceſ. Var. reſol. Cap. 57. n. 104.
Squillant. de Oblig. & Privil. Epiſcop. par. 1. cap. 26. n. 8.
Zipæus Reſponſ. Canon. lib. 4. Reſponſ. 4. n. 18.
S. Congr. Concil. in Spoletana Decimarum 16. Martii 1726.

re, nè realmente, nè personalmente, (1) allora, e non prima in subsidium, precedenti le solite monizioni (2) si venga alla rilassazione delle Censure, con esprimere in esse la somma, o la causa, per la quale sono spedite, e rilassate, o fulminate; in altra maniera sieno ipso jure nulle, ne lighino li dichiarati in esse scommunicati. Et oltre alle sudette cose li Commissarii nelle Cause pertinenti alla loro Giurisdizione tanto per esecuzione delle loro Sentenze, come per causa di inobedienza, e contumacie non possino rilassare dette Censure se non in subsidium nel modo di sopra, e con il voto di più dei Consultori assegnateli secondo il solito dall'Università, e sotto le pene contenute negli oblighi, e sigurtà date nel Tribunale, e della privazione dell'Officio, & altre ad arbitrio della Sacra Congregatione.

Roma 20. Aprile 1633.

BALDASSINIUS.

DE-

(1) Notandum, quod ad valorem excommunicationis requiritur ordinarie citatio personalis.

Guttierez Quæst. Canon. Cap. 16. n. 16. lib. 2.

Cirin. Nex. Eccles. Jurisdict. Cap. 5. n. 143. & seq.

Rota decis. 1. n. 7. Tit. de Sent. excom. coram Cardinal. Falconer.

Cusentina Censurarum 5. Junii 1751. §. 9. coram Canilliac.

(2) Et trina etiam præcedere debet Monitio Canonica.

Engel. in Jus Canon. lib. 5. tit. 39. §. 1. n. 7.

Lauræa in Epitom. Cando. Verb. Excommunicationis natura.

Leo in Thesaur. For. Eccles. par. 3. Cap. 7. n. 106.

Pastor. de Benef. Eccles. lib. 3. tit. 26. n. 7.

Girald. ad Thesaur. de Pœna. Eccles. par. 2. Cap. 1. Verb. Censuræ Sententiam fol. Mihi 120.

Rota decis. 207. n. 13. tom. 2. coram Cardinal. Tanario.

DECRETVM

Sac. Congregationis Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe super legatis relictis PP. Minoribus de Observantia S. Francisci.

CUM sæpius fuerit habitus recursus ad Sacram Congregationem Venerabilis Fabricæ S. Petri super annuis legatis factis, seu faciendis ad favorem Fratrum S. Francisci Minorum de Observantia cum onere Missarum, seu Officiorum sive gratis, sive alio modo (1).

Prætendente Venerabili Fabrica S. Petri ad illam spectare propter dictorum Fratrum incapacitatem hujusmodi legatorum.

Dictis autem Fratribus allegantibus posse annua legata hujusmodi recipere tuta conscientia, quatenus hæ-

res

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod hujusmodi Decretum habet locum in annuis legatis tantum, in quibus proprietas remanet penes hæredes, non autem in legatis, sive hæreditatibus directe in favorem Fratrum factis, sive rel ctis, quia hæc nec momento retinere possunt.

De Luccla de Legat. Mendicant. relict. pag. 151. n. 415.

Juxta Tabulam, seu Ordinationes factas in generali Congregatione Fratrum de Observantia impressas anno 1628. relata per Cirill. de morient. eleemosin. post ejus tractatum n. 47. & seq.

De Luccia de Legatis Mendicant. relict. pag. 134. n. 376. cum seq.

Mattheuc. in Official. cur. tom. 2. cap. 9.

res ex ſua voluntate (1) voluerit illa dare in eleemoſinam, & committere Fratribus dictas Miſſas, & Officia juxta ſententiam (2) S. Bonaventuræ, & Decreta Sacræ Congregationis a Sanctiſſimo Domino Noſtro Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci Ciſmontanæ Familiæ Conſultationibus præpoſitæ ſub die 4. Junii 1628. publicata. Ea-

(3) Eadem Sacra Congregatio pro opportuna præmiſſorum proviſione, facta prius relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro Urbano Papæ Octavo, ac de illius expreſſo ordine, & mandato, decrevit in futurum ſuper hujuſmodi Legatis obſervari, ut infra.

Quod hujuſmodi Legata per debitores, vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compoſitionem cum Miniſtris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo, ſed illorum Capitale, ſive ſors principalis, vel

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quòd Fratres prædicti poſſunt legata pro Miſſis, ſeu Officiis in eleemoſinam, ſponte offerentibus accipere.

Maranta reſponſ. 41. n. 80. par. 1.

Piton. Diſcept. Eccleſ. 2. n. 21. & 41.

Rota deciſ. 1326 n. 10. coram Emerix. Jun.

(2) Nota, quod Sententia S. Bonaventuræ, quæ reſultat a Lib. 2. Opuſ. in Lib. Apologetico, & in Expoſitione regulæ cap. 4. prope finem eſt tranſcripta per Pinſon. in diſcept. 2. n. 128. & 129.

(3) Nota, quod hujuſmodi decretum a Pontifice approbatum vim Legis habet.

Cirill. demorient. eleemoſin. caſu altero §. 2. n. 112. cum ſeq.

De Luccia de Legat. Mendicant. relict. pag. 181. n. 464.

Paſſerin. de Stat. Homin. tom. 2. quæſt. 187. art. 1. n. 447.

Pignatel. in Conſult. Canon. tom. 9. Conſul. 174. n. 8.

vel proprietas absque alia diminutione conservetur semper, & perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benevisos possint applicari; Ita tamen ut quamdiu applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel Debitores possint libere si velint dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosinam (1), non autem per eos exigenda. Et quodquævis extinctio, reductio, seu diminutio capitalis, seu proprietatis aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nullasit, nec Debitoribus, aut aliis quibuscumque suffragetur. Quodque Commissarii, aliique Ministri Venerabilis Fabri-

BALDASSINIUS.

(1) Annua legata relicta PP. Minoribus de Observantia non extinguntur per hæredes se se cum Fabrica componentes, sed eorum Capitalia semper integre debent conservari, ad hoc ut ipsi, quando applicatio specialis auctoritate Apostolica fieri non valeat, possint dicta legata Fratribus per viam eleemosinæ dare.

Maranta par. 1. respons. 41. pag. 263. Vers. Quod.

Piton. Discept. Eccles. 2. n. 15. & 55.

Panimolla decis. 60. Annot. 3. pag. 179. Vers. Quod.

(2) Nota, quod nec Commissarii, nec alii Ministri Fabricæ possunt se intromittere super dictorum legatorum proprietate, nec hæredes seu Debitores molestare, nisi ad effectum reinvestiendi, in executionem applicationis auctoritate Apostolica faciendæ.

Maranta par. 1. respons. 41. Vers. Quodque pag. 263.

Piton. Discepr. Eccles. 2. n. 55.

Cirill. de mor. eleemos. art. 3. n. 23. 26. & cap. 2. §. 6. per tot.

Panimolla decis. 60. Annot. 3. Vers. Quodque pag. 179.

Notandum, quod nec Fratres possunt pro annuis legatis hæredes molestare, nec per se, neque per Sindicum Apostolicum.

Rota decis. 1326. n. 21. coram Emerix. Jun.

cæ ſuper hujuſmodi Capitale, ſeu proprietate ſupradicta, ſe de cætero non intromittant, nec dictos hæredes, ſeu Debitores aliquomodo moleſtent, niſi ad effectum reinveſtiendi in caſu reinveſtimenti, ſeu providendi, ut conſervetur, ut ſupra, aut alias in executionem applicationis auctoritate Apoſtolica factæ, vel faciendæ.

Et quod nolentibus dictis Hæredibus, vel Debitoribus dare ſupradictis Fratribus dictas eleemoſinas, ſeu annuas præſtationes, ſive legata, ut ſupra ſolvere, vel illas, ſeu illa non ſolventibus, tunc, & eo caſu lapſis duobus annis a die obitus Teſtatorum, ſi fuerit maturatum legatum, vel a die maturatæ illius ſolutionis eadem Fabrica, & illius Commiſſarii, & Miniſtri id totum, quod ſolutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit, ut ſupra elapſum biennium, vel ultra, poſſit, & valeat annuas preſtationes hujuſmodi exigere, exigique facere ad ſui beneficium, (1) juxta

BALDASSINIUS.

(1) Renuentibus hæredibus, vel debitoribus ſolvere PP. Minoribus de Obſervantia annua legata, poteſt Fabrica totum id, quod pro præterito ſolutum non fuit pro rata tamen, in qua fuit biennium elapſum exigere, ſalvo tamen Capitali, ſeu proprietate, & deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemoſinam.

Maranta reſpoſ. 41. par. 1. pag. 263. Verſ. Et quod.

Piton. Diſcept. Eccleſ. 2. n. 56.

De Luccia de Legat. Mendicant. relict. pag. 57. n. 184. & pag. 195. n. 501. & 506.

Lantuſch. Theatr. Regular. verbo bona repet.

Panimolla deciſ. 60. Adnot. 3. pag. 179. Verſ. Et quod.

xta suas facultates, & Privilegia, salvo semper capitali, seu proprietate, ut supra, ad effectum, quod hæredes, vel debitores, (dummodo de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec prædicta legata in alios usus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) possint, si velint, etiam quandocumque futuris temporibus, & sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemosinam ut supra, nec Fabrica eosdem hæredes, vel Debitores molestare possit, & valeat toties, & quoties casus contigerit, nisi pro præterito, & tunc in illis terminis tantum, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium, vel ultra, ut supra; salva semper erectione Beneficiorum, & applicatione Legatorum, seu quorumcumque bonorum, & reddituum, ac Jurium eisdem Beneficiis, seu aliis usibus piis auctoritate Apostolica facta, vel in posterum quandocumque, & quomodocumque facienda, & executione litterarum Apostolicarum desuper expeditarum, seu expediendarum; itaut præfata decreta ad illas nequaquam se extendant, sed illæ semper firmæ, & illesæ remaneant, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri debeant, ita quod neque Fabrica (a), neque hæredes, vel Debitores præfati ullo modo illas impedire, retractare,

L 2 vel

VESPIGNANIUS.

(a) Nota, quod nec Fabrica, neque hæredes, vel Debitores impedire possunt Beneficiorum erectionem, & applicationem legatorum auctoritate Apostolica factas.

vel controvertere valeant, & salvis semper Sedis Apostolicæ auctoritate, ac facultatibus competentibus dictæ Sacræ Congregationis Venerabilis Fabricæ.

Prohibuit tamen eadem Sacra Congregatio Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant, seu præsumant, nec quilibet eorum audeat, seu præsumat per se, nec per alios Sindicos, Ministros, seu Procuratores tam Sæculares, quam Regulares dictas annuas præstationes, seu legata, nec judicaliter tam coram quocumque Judice Ecclesiastico, quam seculari Ordinario, vel Delegato, nec alias nisi juxta formam dicti Decreti Congregationis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ a Sanctissimo Domino Nostro (1) deputatæ ab hæredibus seu quibusvis aliis eorum Debitoribus petere, minusve d.d. hæredibus, seu Debitoribus facere aliquas receputas pro dictis annuis præstationibus, nisi pro rata, & pecunia, seu eleemosinis supradictis cum effectu, ac vere,

BALD ASSINIUS.

(1) Notandum, quod annua legata, & eleemosinæ non possunt a Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda nec per se, nec per Sindicos, Ministros, seu Procuratores jure actionis peti.

Maranta respons. 41. par. 1. pag. 264. Vers. Prohibuit.

Petra ad Constit. Apostol. tom. 2. pag. 454.

Piton. Discept. Eccles. 2. sub n. 56.

Panimolla decis. 60. Adnot. 3. pag. 179. Vers. Prohibuit.

Rota decis. 1326. sub n. 10. Vers. Non possunt Fratres. Coram Emerix Jun.

Romana Legatorum, & Eleemosinarum 16. Januarii 1750. §. 15. coram Emo Elephantutio.

re, & realiter eiſdem Fratribus data, vel ſoluta, ſeu datis, vel ſolutis, nec ſub alia Data, niſi ſub ea, qua vere fuerit iiſdem Patribus, aut aliis pro eis facta realis ſatisfactio, & inſuper, ne Proviſos Apoſtolicos pro tempore de Beneficiis, quibus Legata ſupradicta fuerint applicata, vel eorum Procuratores, & Miniſtros ſuper exactione dictorum Legatorum directe, vel indirecte impedire, vel moleſtare quovis quæſito colore, vel prætextu audeant, vel præſumant. In quorum fidem &c. Dat. Romæ ex Collegio Sacræ Congregationis. Die 14. Febr. 1633.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Rever. Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe ſuper annuis legatis relictis PP. Min. de Obſ. S. Franc. non componendis.

SAcra Congregatio generalis Rev. Fabricæ Sancti Petri de Urbe ad conſulendum non minus indemnitati Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia S. Franciſci, quam providendum malitiæ hæredum, & aliorum quomodolibet obligatorum, qui differunt ultra biennium illis ſolvere annua legata pia cum oneribus Miſ-

Miſſarum, (a) ſeu Officiorum, vel etiam gratis dictis fratribus, ſeu eorum Eccleſiis relicta, ac etiam in futurum relinquenda, ſub ſpe poſtea ſuper illis pro minori ſumma ſe componendi cum Commiſſariis, & aliis Rev. Fabricæ Miniſtris, & Officialibus. Prohibuit, & expreſſe mandavit Commiſſariis, OEconomis, Secretariis, & aliis quibuſcumque Officialibus, & Miniſtris Rev. Fabricæ præſentibus, & futuris, & tam Urbis, & Status Eccleſiaſtici, quam Regni Neapolis, & aliorum quorumcumque locorum ſub pœnis arbitrio ejuſdem Sacræ Congregationis, ne de cætero cum hæredibus, vel aliis quomodolibet obligatis ad ſolutionem dictorum Legatorum ad aliquam compenſationem, remiſſionem, vel tranſactionem deveniant, (1) ſed ab illis omnes annatas ſupra biennium decurſas, & non ſolutas integraliter exigant, & exigere faciant in beneficium dictæ Reverendæ Fabricæ, ſine relaxatione alicujus minimæ

VESPIGNANIUS.

(a) Notandum eſt quod hujuſmodi Decretum favore Fratrum de Obſervantia emanavit, ne inſcii priventur eleemoſinis, quas petere non poſſunt. Propterea conſentientibus illis fieri poteſt compoſitio cum hæredibus, & poſtea traditur eleemoſina Fratribus arbitrio Sac. Congregationis.

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod Fabricæ Miniſtris non licet ſe ingerere in annuis legatis PP. Minoribus de Obſervantia relictis cum hæredibus tranſigendo poſt biennium. Sed ab illis omnes annatas ſupra decurſas & non ſolutat debent integraliter exigere.

Petra ad Conſtit. Apoſtol. tom. 2. pag. 464.

Piton. Diſcept. Eccleſ. 2. n. 57.

De Luccia de legat. Mendicant. relict. pag. 146. n. 386. & pag. 187. n. 479.

mæ portionis, ſeu quantitatis, ſervato in reliquis tenore Decreti in hac materia ab eadem Sacra Congregatione editi ſub die 14. Februarii 1633. Et compoſitiones, ſeu remiſſiones quaſcumque in contrarium quomodolibet faciendas eo ipſo nullas, & irritas eſſe decrevit, & declaravit, mandans ita componentes ad reſidui ſic ſibi remiſſi, ſeu condonati ſolutionem adſtringi, & cogi poſſe, perinde ac ſi compoſitio, ſeu relaxatio per eos obtenta non eſſet. Et ne ab aliquo hujus Decreti ignorantia prætendi, & allegari poſſit decrevit illud in lucem edi, publicari, & pro negociis Status Eccleſiaſtici affixum in Urbe in Januis Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ, in acie Campi Floræ, aliiſque locis conſuetis, & pro negociis Regni Neapolis in Januis Eccleſiæ Archiepiſcopalis Neapolis, nec non ſolitæ Reſidentiæ Tribunalis ipſius Rev. Fabricæ, perinde afficere, ac ſi omnibus intereſſe habentibus perſonaliter intimatum eſſet. Datum Romæ in Collegio ejuſdem Sac. Congregationis die 15. Decembris 1646.



EXEM-

EXEMPTIO

Rev. Fabricæ a solutione Gabellarum fuit observata etiam in Dhoana Urbis ab immemorabili tempore centum, & ultra annorum, ut infra.

Vitellotius Vitellius Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius.

VOBIS Dhoaneriis Almæ Urbis de mandato Sanctissimi D. Nostri Papæ vivæ vocis oraculo super hoc nobis facto, & auctoritate nostri Camerariatus Officii tenore præsentium committimus, & mandamus. Quatenus duodecim Aspos fili ad faciendum canopos, ad trahendum, & elevandum columnas, & alia pondera (1) Venerabilis Fabricæ Sancti Petri de Urbe, quæ de præsenti reperiuntur in Dhoana Terræ ad instantiam Collegii, & Deputatorum dictæ Venerabilis Fabricæ asportata, & omnia quæ vecta fuerint in futurum, vobis fide facta, seu mandato per dictum Collegium, seu illius Deputatos qualibet vice, qua bona ipsa ex præfata Dhoana extrahi continget, quod bona hujusmodi ad dictam Venerabilem Fabricam, & pro illius usu exi-stant

(1) Nota, quod Fabrica non tenetur solvere gabellas pro rebus ad ipsam spectantibus.

Ursaya in Compend. Privileg. Fabric. S. Petri n. 128.

ſtant realiter, & cum effectu abſque aliqua ſolutione Dohanæ, ſeu Gabellæ conſignare debeatis, nam quicquid conſignaveritis ad exitum Cameræ Apoſtolicæ deſcribetur, illudque in computis veſtris admittemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ in Camera Apoſtolica die 18. Januarii 1565.

V. Card. Camerarius.

Hieronymus de Tar

Loco ✠ Sigilli magni.

In Archivio Venerabilis Fabricæ in faſciculo Brevium ſignato num. 12. *A.* 1.

DECRETUM

Infertum in Brevi Leonis Papæ X. contra fraudantes Rev. Fabricam an. 1514.

LEO PAPA X.

Dilectis filii &c. Deputatis Rev. Fabricæ.

DEcernimus infuper omnes, & fingulos cujufcumque Dignitatis, Ordinis, & Religionis, Ecclefiafticofque omnes, & mundanos, fraudem, falfitatem, aut machinationem aliquam, falfaque, aut quomodolibet commenta, quietantias, liberationes, vel fcripturas aliquas machinantes, aut facientes propter quas præjudicium ipfi Fabricæ impedimentum, vel damnum oriri poffet, vel inferretur, & eas qui nolle exigere afferuerint ut præfertur; Majoris excommunicationis (1) fententiæ fubjacere; & ab illa non nifi per Nos, & Romanos Pontifices Succeffores noftros legittime intrantes aut per vos, aut a vobis deputandos, præterquam in mortis articulo, prævia fatisfactione, pro ipfa Fabrica facienda abfolvi poffe. Et nihilominus vos contra fufpectos in præmiffis per viam inquifitionis fumma-

(1) Nota, quod Fraudantes Fabricam funt excommunicatione plectendi. Urfaya in Compend. Privileg. Fabricæ S. Petri n. 56.

marie ſimpliciter, & de facto procedere, & repertos culpabiles condignis pœnis afficere, auctoritate Noſtra poſſitis, & valeatis. Datum apud S. Petrum die 6. Septembris Pontificatus anno ſecundo.

BREVE

San. Mem. Pauli Papæ III. in quo declaratur cauſas omnes intereſſe Rev. Fabricæ concernentes eſſe cauſas ipſius Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, nec dictam Rev. Fabricam teneri ad ſolutionem quarumcumque ſcripturarum, & cum privilegiis Fiſci.

PAULUS PAPA III.

MOtu proprio &c. extraordinarias expenſas quas, ut accepimus dilecti filii Collegium, & Deputati Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe illiuſque OEconomus in diverſis litibus, quas aliquando extra eorum Tribunal, occaſione rerum, & negotiorum dictæ Fabricæ, ac pro juribus, & actionibus, ac rebus, & bonis ejuſdem Fabricæ defendendis, ſeu illis tamquam ad eam applicatis, & devolutis ſpectantibus recuperandis, & acquirendis in dies ſubire coguntur, tollere omnino volentes. Motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine decernimus, & declaramus, omnes, & ſingulas cauſas coram quibuſcumque Judicibus, etiam Sanctæ Romanæ

Ecclesiæ Cardinalibus, aut in Sacræ Rotæ Auditorio, (1) nunc, & pro tempore pendentes, & dictam Fabricam quomodolibet concernentes, nostras, & Sedis Apostolicæ esse, nostrumque, & dictæ Sedis interesse concernere, proptereaque Collegium, & Deputatos dictæ Fabricæ, illiusque modernum, & pro tempore existentem OEconomum, pro satisfactione tam registrorum, Instrumentorum, Commissionumque, & aliarum scripturarum in causis dictam Fabricam quomodolibet, ut præfertur, concernentium, gravare non posse, nisi ad solvendum id, quod Noster, & Cameræ Apostolicæ Procurator fiscalis, in causis Cameralibus civilibus, & fiscum (2) nostrum concernentibus, pro simili satisfactione, solvere tenetur, & obligatur; & nihilominus universis, & singulis tam Romanæ Curiæ, quam quarumcumque aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Nobis, & dictæ Sedis mediate, vel immediate subjectorum, Notariis, & Tabellionibus, atque Scribis, etiam Actua-

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod Fabrica avocat Causas ejus interesse concernentes, etiam a Sacra Rota.

Cardinal. Calcagnin. in Observat. Practic. legal. Observat. 19. n. 3. par. 1.
Ursaya in Compend. Privileg. Fabricæ S. Petri n. 151.

(2) Fabrica in omnia Fisci jura fuit subingressa.

Card. Calcagnin. in Observ. Practic. legal. par. 1. Observ. 19. n. 6.
Rota in Romana Cappellaniæ 2. Julii 1731. §. Alterius coram Cardinal. Aldrovando.

Actuariis coram quibuscumque Judicibus, Ordinariis, seu Delegatis etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut Sacri Palatii Apostolici causarum Auditoribus, seu Locumtenentibus in causis dictam Fabricam concernentibus, & ad scribendum pro tempore deputatis circa mercedes, instrumentorum, & aliarum scripturarum, & registrorum, seu extractuum, dum fieri contigerit a dicto OEconomo, & officialibus dictæ Fabricæ, non ultra quamquod in causis Cameralibus, ac fiscum (1) nostrum concernentibus a Procuratore fiscali capere consuetum est. Cursoribus etiam nostris, ut in redimendis commissionibus per utramque Signaturam, pro tempore ad Collegii, & Deputatorum, seu OEconomi præfatorum instantiam signatis dictam tamen Fabricam, illiusque negotia similiter concernentes, ac commissionibus exequendis, nihil, prout nec a Fisco, quicquam capere consueverunt a Collegio Deputatis, & OEconomo præfatis, similiter capiant. Collegio vero ac Deputatis præfatis, ut præmissa omnia, & singula, inviolabiliter observari mandent, & faciant, sub eisdem censuris, sententiis, & pœnis mandamus, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, privilegiis quoque

que

BALDASSINIUS.

(1) Notandum est, quod Fabrica non tenetur plus solvere pro Regestris, Instrumentis, Commissionibus, & aliis Scripturis ejus interesse concernentibus, quam solvere solet Fiscus Rev. Cameræ Apostolicæ,

Urtaya in Compend. Privileg. Fabricæ S. Petri. n. 161.

Zerola in Prax. Episcop. Verb. Fabrica par. 1. Vers. Tertio.

quæ indultis singulis Collegiis dictorum Officialium, etiam in singulorum eorumdem erectionum, & forsan successive. Sub quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis decretis. Quibus illorum tenores &c. Dat. Romæ 8. Augusti 1545.

BREVE

Fel. record. Julii Papæ III. confirmatorium Brevis felic. recor. Pauli Papæ III. super commissionibus signandis in favorem Fabricæ, cum inhibitione Cardinalibus, & Referendariis, ne aliquas signent commissiones in rebus concernentibus dictam Fabricam.

JULIUS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem ea; quæ in Basilicarum Ecclesiarum quarumlibet, illarumque Fabricarum, ac ipsarum Fabricarum Collegiorum Præfectorum, & Deputatorum favorem, & commodum concessa fuerunt, & quæ aliquando cassata, & annullata fuisse dicuntur, suæ approbationis, atque innovationis robore solidare, ac de novo disponere, ac alias taliter providere, quod Basilicæ, Ecclesiæ, Fabricæ, Collegia, Præfecti, & Deputati hujusmodi, prout par est, possint de cetero illis pacifice frui, & gaudere. Cum itaque, post-

postquam fel. recor. Paulo Papæ III. prædecessori Nostro notum fuerat, quod nonnulli Apostolicæ Sedis Legati de Latere, & Gubernatores, & Commissarii in Provinciis, & Locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immediate subjectis deputati, ac alias tam Provinciarum, & locorum, eorumdem, quam etiam Urbis, & Romanæ Curiæ Judices Ordinarii prætextu, quod ab eadem Sede illis indultum erat, quod aliquibus causarum commissionibus justitiam concernentibus, ac moratoriis, nisi illæ manu propria Romani Pontificis pro tempore existentis, vel alicujus eorum, etiam motu proprio, aut aliis certis modis, & formis, ac certis signis, & contrasignis signatæ essent, parere minime tenerentur, Quodque quascumque causas, a quibusvis Judicibus avocare, & illas aliis audiendas delegare, & comittere possint in diversis *spiritualibus*, *profanis*, (a) *criminalibus*, *mixtis*, & aliis causis motis, & movendis commissionibus per bon. me. Laurentium Episcopum Prænestinum S. R. E. Cardinalem de Campeggio nuncupatum, & pro tempore ad commissiones Justitiam concernentes eidem prædecessori porrectas in ejus præsentia signandas deputatos, ac plenam, & liberam facultatem per se, vel alium ab eo deputandum desuper habentes tam in præsentia, quam ex certa scientia, & in plena Signatura Justi-

VESPIGNANIUS.

(a) Nota quod causæ criminales debent intelligi de causis criminalibus Commissariorum, & Officialium, & aliorum inservientium eidem Fabricæ, juxta decretum ejusdem Pauli III. infra impress.

Justitiæ etiam partibus auditis, & pro justitiæ debito signatis, & causarum hujusmodi avocationis, ac aliis dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Rotæ Auditoribus, cæterisque Judicibus tam in curia, quam in Provinciis prædictis Commissariis, & litteris, Apostolicis super Commissionibus ipsis, tam sub plumbo, quam in forma brevis confectis nec non inhibitionibus, & mandatis illarum vigore decretis parere, nisi pro eorum voluntate non curabant, imo contemnebant, & indebite recusabant, illisque non obstantibus in caussis, ipsis, etiam ab eis avocatis ad ulteriora procedere, & inhibitiones decernere, sententiasque, & censuras promulgare, ac etiam diversas causas, & Auditoribus præfatis commissas, & coram eis pendentes ad se avocare, & aliis delegare præsumebant; propter quod interdum in eadem causa, & inter easdem partes per diversos Judices, ac in dicta Curia, & extra eam procedebatur, & partes diversis expensis, & gravaminibus afficiebantur, ac jurisdictiones confundebantur, & diversa inconvenientia subsequebantur. Idemque Prædecessor ex præmissis, & certis aliis causis per quandam suam Constitutionem, quam in Cancellaria Apostolica publicari, & describi fecerat, omnia, & singulas facultates, concessiones, & indulta quibuscumque dictæ Sedis Legatis, etiam de Latere, etiam Cardinalibus, ac Gubernatoribus Commissariis, & quavis etiam Pontificali dignitate fungentibus, tam Urbis, & Curiæ

riæ, quam Provinciarum, & locorum prædictorum sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam per modum statuti perpetui, & cum quibusvis revocationum præservationibus, ac aliis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis etiam motu simili, & ex quibusvis causis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos, ac forsan eumdem Prædecessorem catenus quomodolibet concessa, & confirmata, quoad id, ut ipsi Legati, Gubernatores, Commissarii, & Judices, Commissionibus Apostolicis, nisi manu Romani Pontificis, ac etiam motu proprio, & alias sub certis modis signatæ essent, parere tenerentur, ac quoad quascumque causas a quibusvis Judicibus ordinariis, & extraordinariis, & auctoritate Sedis prædictæ. Delegatis etiam Rotæ Auditoribus, avocare, & illas aliis quibusvis modis, & formis audiendas, decidendas, & fine debito terminandas delegare, seu committere possent, dumtaxat revocaverat, cassaverat, & annullaverat, & pro non concessis haberi voluerat; Eisdemque Legatis, Gubernatoribus, Commissariis, & Judicibus, ex tunc de cætero nullatenus suffragari potuisse, ac quicquid per eos prætextu facultatum, & indultorum revocatorum hujusmodi attentari contingeret, nullius roboris, vel momenti existere decreverat. Cum a nonnullis dubitaretur, ne per Constitutionem suam hujusmodi privilegia, & facultates quoad præmissa dilectis filiis Collegio, & Præfectis Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe, per piæ

N mem-

mem. Julium II., Leonem Decimum, Adrianum VI., & Clementem VII. Prædecessores suos concessa, & per eumdem Paulum confirmata, & innovata cassata, & annullata forent. Idem Paulus Prædecessor, cujus mentis erat privilegia & facultates dictæ Fabricæ concessa confirmata, & innovata potius augere, quam revocare. Motu simili, & ex certa scientia suam Constitutionem revocatoriam prædictam ad privilegia facultates, & indulta eidem Fabricæ per Julium, Leonem, Adrianum, & Clementem concessa, etiam Paulum Prædecessores præfatos confirmata, & innovata, non se extendere, sed illa a concessione sua revocatoria omnino excepta esse decreverit, & declaraverit; Privilegiaque, facultates, & indulta Fabricæ, & ejus Præfectis, & Deputatis concessa prædicta innovaverit, & de novo quascumque commissiones, tam gratiæ, quam justitiæ interesse dictæ Fabricæ quomodolibet concernentes, aliter, quam manu sua, & successorum Romanorum Pontificum, ad hoc vocato OEconomo dictæ Fabricæ signatas (1), nullius esse roboris, vel momenti, & ita per quoscumque Judices sententiari & judicari debere decreverit, prout in supplicatione desuper manu ejusdem Pauli Prædecessoris motu proprio signata, cujus solam Signaturam quoad id sufficere, voluit, plenius con-

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod in Causis Fabricæ interesse concernentibus nullæ attenduntur Commissiones, nisi sint manu SSmi signatæ.

Cardinal. Calcagnin. in Observat. Practic. Legal. par. 1. Observ. 19. n. 30.

continetur. Nos cupientes, ut omnia, & singula privilegia, facultates, & indulta Fabricæ Collegio, & Deputatis præfatis per prædictos, & alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros super quibuscumque tenoribus, & formis concessa approbata, & innovata perpetuo durent, & illibata præserventur, ac firmiter observentur; nec non Fabrica, Collegium, & Deputati præfati, in eis manuteneantur. Motu simili, non ad ipsorum Collegii, & Deputatorum, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate decretum & declarationem Pauli Prædecessoris hujusmodi; & prout eisdem Fabricæ Collegio, & Deputatis concessa sunt, omnia, & singula privilegia facultates, & indulta prædicta, illorum omnium tenores præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, ex certa nostra scientia auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus; illaque innovamus, ac inviolabiliter observari debere mandamus. Nec non sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, alterationibus, aut derogationibus, per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices Successores nostros ex quibusvis causis, quomodolibet pro tempore factis minime comprehensa, sed semper, & ab illis excepta esse; & censeri, & nihilominus pro potiori cautela, quascumque commissiones tam gratiæ, quam justitiæ interesse dictæ Fabricæ quomodolibet concernentes, aliter quam manu nostra pro-

pria, aut Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum, etiam ad hoc vocato OEconomo dictæ Fabricæ quomodolibet pro tempore signatas, nullius roboris, vel momenti existere ac præsentes de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu notari, seu impugnari nullatenus posse, & ita per quoscumque Judices, & Commissarios etiam Causarum Palatii Apostolici hujusmodi Auditores, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sublata eis, & eorum cuilibet quavis judicandi, & interpretandi, facultate & auctoritate judicari, sententiari, & definiri debere, de novo decernimus, & declaramus. Et nihilominus, omnes, & singulas causas, quæstiones, & controversias, hactenus inter OEconomum dictæ Fabricæ, & quasvis alias personas, super quibusvis rebus, quomodolibet, tam active (a), quam passive, præter & contra facultatum, privilegiorum, & indultorum, nec non decreti, & declarationis Pauli Prædecessoris hujusmodi formam, continentiam, & tenorem, coram quibusvis Judicibus, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in quavis instantia commissas, motas, & indecisas pendentes, quarum status, & merita, ac nomina, & cognomina Judicum, & collitigantium præsentibus haberi volumus pro expressis, in eisdem statu, & terminis in quibus repe-

VESPIGNANIUS.

(a) Nota, quod privilegium fori conceditur tam active, quam passive.

reperiuntur, (1) harum ſerie ad nos advocantes illas, cum omnibus, & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus annexis, & connexis, eiſdem Præfectis, & Deputatis juxta privilegiorum facultatum, indultorum decreti, & declarationis eorumdem tenorem, reaſſumendas, audiendas, cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas, per præſentes committimus, & mandamus. Diſtrictius inhibendo dilectis filiis Angelo Sanctæ Potentianæ de Medices, & Hieronymo Sancti Martini in Montibus Verallo nuncupatis Presbyteris, & quibuſcumque aliis Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, aut aliis ad ſupplicationes tam gratiæ, quam juſtitiæ, vel alterius earum, tam in præſentia, quam ex certa ſcientia noſtris, ac in plena Signatura Juſtitiæ ſignandas, nunc, & pro tempore deputatis, ac etiam utriuſque Signaturæ noſtræ Referendariis, ne ſub inobedientiæ, & indignationis noſtræ pœnis aliquas commiſſiones, ſeu ſupplicationes aliquod intereſſe, damnum, vel præjudicium dictæ Fabricæ concernentes, ſignare, referendariare, ſeu in eis manum apponere, aut alias expedire, quoquomodo audeant, ſeu præſumant. Ac decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis, ſeu aliquo præmiſſorum, a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoran-

(1) Nota, quod facultas cognoſcendi pias defunctorum voluptates eſt Fabric. Tribun. demandata.

Rugerius de Tribunal. Rev. Fabric. cap. 2. §. 2. n. 53.

ranter contigerit attentari; Non obſtantibus præmiſſis, ac ſtylo Palatii, nec non quibuſvis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ præfatus Paulus Prædeceſſor voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris die 20. Julii 1552. Pontificatus anno tertio.

BREVE

Sanctæ Mem. Clementis Papæ VIII. nè ordinarii ſe intromittant in Cauſis Legatorum piorum poſt jus quæſitum Rev. Fabricæ.

Dilecto filio Hieronymo de Mauro Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe in Civitate Neapolitana Commiſſario Generali Sedis Apoſtolicæ Notario.

CLEMENS VIII.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Antonius Lomacius Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe OEconomus Generalis, quod licet ſtantibus privilegiis dictæ Fabricæ per diverſos Romanos

nos Pontifices Prædecessores nostros pro tempore existentes concessis, etiam præsertim felic. recordat. Pii Papæ V. Litteris, in quibus expresse disponitur, quod relicta pia cum onere celebrationis Missarum, divinorum Officiorum, ac similium, pro quorum adimplemento bona; seu etiam redditus perpetui, aut ad tempus relinquuntur, & hæredum, seu aliorum, qui ad id quomodolibet obligati existunt avaritia, pro præterito adimpleta non sunt, eo usque decurso, & realiter non soluta Fabricæ hujusmodi debeantur; in futurum vero decurrenda ipsis Legatariis, cum onere injuncto reservantur: Fabrica ipsa sive dilecti filii ejus Officiales non debuissent, neque deberent super præmissis ab aliquo indebitè molestari, neque in exactione, & perquisitione hujusmodi Legatorum inquietari, nihilominus nonnulli locorum ordinarii, seu illorum Vicarii in Regno Neapolitano, & præsertim dilectus filius Vicarius Venerabilis Fratris Archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus Generalis nonnullos Cappellanos, qui Missas, & Divina Officia hujusmodi, minime celebrarunt in præjudicium ipsius Fabricæ, cui jus est jam acquisitum, nulliter tamen, & de facto conveniunt sub prætextu legata pia in pios usus convertendi; cum autem sicut dicta expositio subjungebat, hoc non solum in præjudicium dictæ Fabricæ tendat, sed stantibus dictis privilegiis, nec etiam dicti Ordinarii facultatem hujusmodi pia legata in alios usus commutandi habeant; Ideo Nobis humi-

humiliter supplicari fecit prædictus exponens, ut in præmissis opportune de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur statum, & merita causæ, & causarum hujusmodi præsentibus pro plenè, ut sufficienter expressis habentes, ipsumque exponentem a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis ad id, qui fuerint vocandi prædictas, nec non quam, & quas prædictus exponens super præmissis, rebusque aliis in eisdem actis latius deducendis contra dictos Ordinarios, seu illorum Vicarios, aut dilectos filios illorum Procuratores fiscales, omnesque alios in executione citationis præsentium vigore decernendos, nominandos, & cognominandos habet, & movet, habereque, & movere vult, causas; cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali, summarie, simpliciter, & de plano, tam conjunctim, quam divisim, sola facti veritate inspecta; auctoritate nostra audias, cognoscas, fineque debito termines, & decidas; Nos enim tibi dictos Advocatos, omnesque alios, quos opus fuerit, etiam ultra quatuor dietas existentes, etiam per Edictum


ctum publicum, conſtito ſummarie, & extrajudicialiter de non tuto acceſſu, citandi,(1) & eiſdem Epiſcopis, ſub interdicto ingreſſus Eccleſiæ, & ſuſpenſionis a Divinis, eorum vero Vicariis, & aliis quibus inhibendum erit; ſub excommunicationis, &.aliis Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris, & pænis inhibendi, cæteraque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus facultatem; Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Ferrariæ ſub annulo Piſcatoris die 28. Maii 1598. Pontificatus Noſtri anno ſeptimo.

O BRE-

BALDASSINIUS.

(1) Nota, quod Fabrica S. Petri cognoſcit, fineque debito terminat cauſas, in quibus habet intereſſe, & præjudicium, cum facultate etiam Epiſcopos, eorumque Vicarios generales (ad quos delegatio hujuſmodi eſt reſtricta) inhibendi.

Monacel. In Formul. legal. For. Eccleſ. tom. 1. in Appendic. pag. 294. n. 22.



BREVE

Fel. record. Clem. Papæ VII. in quo motu proprio mandavit Officiales Rev. Fabricæ haberi pro veris, & non fictis familiaribus Papæ cum omnibus exemptionibus, & privilegiis eorumdem familiarium in Palatio Apostolico habitantium.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

DUM ad assiduos labores, quos Dilecti filii, Collegium Præfectorum Fabricæ Basilicæ Beati Petri nuper per Nos erectum; Nec non Secretarius, OEconomus, Computista, & Mandatarius moderni Officiales ejusdem Collegii circa eamdem Fabricam præstare non cessant, debita meditatione attendimus, merito inducimus, ut ipsos condignis favoribus prosequamur, & gratiis, hinc est, quod Nos Collegium, & Præfectos ipsos, eorumque singulares sexaginta videlicet (a) per-

VESPIGNANIUS.

(a) Numerus iste sexaginta virorum, nec non aliorum hic per Clem. VII. nominatorum, intelligi debet moderno tempore de Sacra Congregatione Rev. Fabricæ, ac de omnibus Ministris, & Officialibus, cum litteris Patentibus ejusdem Sac. Congregationis actu inservientibus; juxta facultatem ab eodem Clemente VII. attributam pro Fabricæ prospero gubernio ad libitum statuendi in ejus Constit. 3. sæpius indicata.

personas, etiam Prælatos: Nec non præfatos Secretarium, OEconomum, Computistam, & Mandatarium, Officiales Collegii hujusmodi, nunc, & pro tempore existentes, ac eorumquem libet specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac a quibusvis excommunicationibus suspensionibus, & interdictis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Motu proprio, non ad Collegii præfectorum personarum Secretarii OEconomi, Computistæ, Mandatarii hujusmodi, aut alicujus alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, Collegium (a), Præfectos personas, Prælatos, Secretarium, OEconomum, Computistam, Mandatarium hujusmodi, nunc, & pro tempore existentes, nec non singulos Clericos, per singulos ex eisdem Præfectis personis, etiam Prælatis, Secretario, OEconomo, Computista, & Mandatario, eorumque loco pro tempore ad infrascripta

VESPIGNANIUS.

(a) Collegium, & Deputati Rev. Fabricæ accipiuntur in veros familiares Papæ.

nominandos, & subrogandos, (a) super quo ipsis Collegio Præfectis personis etiam Prælatis, Secretario, OEconomo, Computistæ, & Mandatario, & earum cuilibet; per præsentes facultatem concedimus, quorum omnium, & singulorum nomina, & cognomina, qualitatesque, ac Civitates, & Dioeceses ex quibus sunt oriundi, præsentibus pro expressis haberi volumus, & eorum quemlibet in nostros veros antiquos, & non fictos familiares, continuos commensales Apostolica auctoritate tenore præsentium gratiose recipimus, & admittimus. Aliorum antiquorum verorum etiam in Palatio nostro, & illius Tinello actu comedentium familiarium nostrorum continuorum Commensalium numero, & consortio favorabiliter aggregamus; ac quamvis in dicto Palatio non habitent, & in illius Tinello non comedant, & in Bulla, seu Rotulo descriptorum antiquorum descripti, seu annotati non existant: Nihilominus veros, & indubitatos familiares continuos commensales antiquos nostros existere, & ubique censeri debere, ut & tales in quibuscumque impetrationibus, seu concessionibus quomodolibet faciendis, & concedendis se nominare posse, nec propterea eorum impetrationes, & concessiones alicui subreptionis vitio subjacere, sed validas, & efficaces existere, ipsosque Collegium, Præfectos, personas, etiam Prælatos, Secretarium, OEconomum,

VESPIGNANIUS.

(a) Et pro tempore subrogandas etiam sub alio nomine, dummodo inserviant Rev. Fabricæ cum litteris Patentibus Collegii.

nomum, Computiſtam, & Mandatarium hujuſmodi, pro tempore exiſtentes, ac quemlibet eorum ſubrogandas, & eorum quemlibet, omnibus & ſingulis, ac illis prorſus ſimilibus antelationum prærogativis, conceſſionibus, mandatis, exemptionibus (a) decretis, gratiis, favoribus, privilegiis, declarationibus, & indultis, etiam quoad expeditionem litterarum, & gratiarum expectativarum, quibus alii noſtri familiares continui commenſales antiqui, etiam ante tempus, & tempore aſſumptionis noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem Nobis immediate actu ſervientes, & pro tempore deſcripti de jure, vel de conſuetudine, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, etiam in aſſecutione beneficiorum, Eccleſiaſticorum, quorumcumque, etiam vigore gratiarum expectativarum, (b) etiam per nos eis pro tempore conceſſarum, & illarum extenſionum, mutationum, collationum, & revalidationum, uti, potiri, & gaudere, ac in quibuſcumque regulis, & litteris Apoſtolicis, ſeu Conſtitutionibus, & declarationibus, circa noſtros antiquos familiares, continuos commenſales nobis actu in dicto Palatio ſervientes, & in illius Tinello comedentes, ac antiquos, & pro

VESPIGNANIUS.

(a) Cum omnibus exemptionibus, & prærogativis familiarium in Palatio Apoſtolico habitantium.

(b) Nota quod hujuſmodi gratiæ, & alios concernentes expeditiones beneficiorum hodie non ſunt in uſu.

pro tempore descriptos hujusmodi forsan factis, & pro tempore faciendis, pro earum consequendo effectu inclusos, & comprehensos esse, ac ubi dicti familiares continui Commensales antiqui, & descripti excipiuntur, etiam exceptos esse, & excipi; nec non quibuscumque aliis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, quibus dicti antiqui, non per privilegium, sed veri descripti familiares continui commensales nostri anteferuntur, & vigore quarumcumque prærogativarum concedendarum pro tempore anteferentur, in assecutione beneficiorum hujusmodi anteferendos esse, ac anteferri, & præferri debere, sine tamen eorum descriptorum præjudicio; sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices etiam S. R. E. Cardinales, & causarum Palatii Apost. Audit., tam in Romana Curia, quam extra eam, in quibusvis causis pro tempore motis, & quavis instantia judicandum fore, sublata eis, & eorum cuilibet, aliter interpretandi, & judicandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Motu scientia, ac potestatis plenitudine similibus decernimus, & declaramus; Et nihilominus Collegio, Præfectis personis, etiam Prælatis, Secretario, OEconomo, Computista, & Mandatario præsentibus & futuris hujusmodi, ac eorum subrogandis, & eorum cuilibet. Clericis tamen, vel militiæ Clericali, ascribi desiderantibus de

tribus

tribus Canonicatibus cum reſervationibus totidem præbendarum, etiam majorum, & pinguiorum trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, vel Collegiatarum, ac dignitatis, perſonatus, adminiſtrationis, vel officii cujuslibet earumdem Eccleſiarum: Nec non præſtimoniorum, ſeu præſtimonialium portionum, quorum fructus redditus, & proventus centum ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedant: Nec non de tribus beneficiis Eccleſiaſticis, etiamſi quodlibet eorum cum cura, aut Decanatus, vel Archipresbyteratus ruralis, ſeu Vicaria, vel Cappellania perpetua, qui, vel quæ dignitas etiam curata extra tamen Cathedralem Eccleſiam reputetur, ſeu dignitas, perſonatus, adminiſtratio, vel officium, etiam curata, & electiva, aut Canonicatus, & præbenda, etiam electiva in Cathedrali etiam Metropolitana, vel Collegiata Eccleſia fuerit, quorum ſingulorum fructus, redditus, & proventus centum, & quinquaginta, ducatorum ſimilium, ſecundum taxationem decimæ valorem ad accollationem proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis diſpoſitionem quorumcumque trium Collatorum, ſeu collatricum Secularium, vel regularium per eos, & eorum quemlibet reſpective in ſingulis eorum litteris eligendorum, vel eligendarum, etiam ratione dignitatum, perſonatuum, admiſtrationum, vel officiorum communiter, vel diviſim ſpectantibus providemus, ac provideri mandamus,

mus, ac litteras Apoſtolicas, ſub datâ currenti, quæ perinde valeant, ac ſi ſub Dat. Kal. Maii, Pontificatus Noſtri ánno ſecundo, conceſſæ, & proceſſus deſuper decernendos, acſi die vigeſima prima menſis Auguſti Pontificatus, & anni prædictorum decreti, & tunc Collegium, Præfecti, perſonæ etiam Prælati, Secretarius, OEconomus, Computiſta, & Mandatarius eorumque ſubrogandi præfati, & eorum quilibet, veri familiares noſtri continui Commenſales antiqui, veri, & non per privilegium deſcripti fuiſſent, etiam ad tertiam collationem ad largam, vel cum creatione in canonicum, ac de præſtimoniis, ſeu præſtimonialibus beneficiis hujuſmodi, etiam cum mutatione Priorum collationum ad alias collationes cum creationibus in Canonicos, ſeu ad largas, abſque alia noſtra Signatura, prout eis communiter, vel diviſim utilius videbitur expediri volumus; & etiam mandamus. Nec non cum illis, ex Collegio, Præfectis, perſonis, etiam Prælatis, Secretario, OEconomo, Computiſta, Mandatario, & ſubrogandis hujuſmodi, qui forſan ætatis ſupra XVII. annum conſtituti, ut curata, ſeu alias invicem incompatibilia, etiam ut præfertur, qualificata, cum illis verò qui natalium ex quocumque illicito coitu procreati defectus pro tempore patientur, ut Canonicatus, & Præbendas, ac dignitates, aliaque omnia, & ſingula Beneficia ſupradicta, nec non cum omnibus ſupradictis, & eorum quolibet, ut tria curata, ſeu aliàs invicem incompatibilia


etiam

etiam, ut præfertur, qualificata, sub eorum gratiis expectativis comprehensa, ac litterarum desuper conficiendarum vigore eis conferenda recipere, & insimul quoad vixerint retinere libere, & licite possint, & valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus. Non obstantibus defectibus prædictis, ac Pictavensis, & Lateranensis generalis Conciliorum. Nec non aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum in quibus beneficia prædicta forsan fuerint juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam de optando majores, & pinguiores præbendas, & non obtinendis præstimoniis, nisi per Canonicos actu præbendatos, nec non quibuscumque antelationum prærogativis, declarationibus, concessionibus, & indultis quibusvis personis, etiam dictæ Curiæ Officialibus, & ipsorum Collegiis, motu scientia, & potestate prædictis concessis, & concedendis, quæ ipsis adversus præmissa nullatenus suffragari posse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque. Præterea volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod transumptis præsentium manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem fides adhibeatur, quæ eisdem originalibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ adhiberetur. Quodque pro prædictis omnibus, & singulis communiter, vel divisim, dummodo quod de gremio ipsius Collegii, aut ejus Officiales,

P seu

ſeu modo præmiſſo ſubrogati exiſtant duo Deputati, ac Secretarius Collegii hujuſmodi pro tempore per cedulam eorum manu ſubſcriptam fidem fecerint; Litteræ Apoſtolicæ ſuper omnibus, & ſingulis gratiis, conceſſionibus et indultis præmiſſis oportunè expedire poſſint, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis receptionis, admiſſionis, decreti, provifionis, mandati, voluntatis, & diſpenſationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto. Pridie Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno quarto.

Hen. de Buſſeyo.



DE-

DECRETUM

San. Mem. Pauli Papæ III. Insertum in Brevi erectionis Confraternitatis sub invocatione Principis Apostolorum de Urbe, super exemptione Officialium Reverendæ Fabricæ, eorumque familiarium, & servitorum durante eorum officio a quacumque jurisdictione, & in causis tam civilibus, quam criminalibus anno 1535.

PAULUS PAPA III.

Si Cunctarum &c.

AC Commissarios prædictos, & eorum subrogatos, quos, nec non bona illorum, durante eorum officio, ab omni Jurisdictione ordinaria eximimus; & totaliter liberamus; coramque alio, quam coram Commissariis per Nos, ut præfertur deputandis respective, in quibusvis eorum causis, & negotiis, tam civilibus, quam Criminalibus (1) conveniri, ac Ordinarii, ac eorum Officiales, etiam ratione domicilii, delicti, vel con-

P 2

BALDASSINIUS.

(1) Officiales Fabricæ exempti sunt ab omni alia Jurisdictione tam civili, qnam criminali.

Ursaya in Compend. Privileg. Fabric. S. Petri n. 131.

Et cum hujusmodi privilegio traduntur litteræ patentes, ut pro exemplo habes impressas infra.


contractus, aut rei, de qua ageretur, ubicumque domicilium habuerint, committatur delictum, & iniatur contractus, seu res ipsa consistat in eos, & familiares, (a) servitores, aut bona eorum, Jurisdictionem, superioritatem, Dominium, & potestatem exercere; aut in eos, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, seu quasvis alias Ecclesiasticas sententias censuras, & pœnas promulgare non posse: nec non omnes, & singulos processus, sententias, & pœnas, quos, & quas per Ordinarios, Vicarios, & Officiales prædictos contra eos, eorumque Promotores hujusmodi habere, & promulgari contigerit, irrita, et inania, nulliusque roboris, vel momenti existere decernimus &c.

Datum Romæ apud S. Marcum anno Domini 1535. sexto Idus Augusti Pontificatus Nostri anno I.

DE-

VESPIGNANIUS.

(a) Prout etiam exempti sunt eorum servitores, ac illis officialibus inservientes, quibus conceditur facultas deferendi Arma adinstar Cameralium.



DECRETUM

San. Mem. Pauli III. infertum in Bulla 31. in Bullario novo incipiente, Dum ad Univerfas anno 1541. §. 46. fuper extenfione; & confirmatione Privilegiorum Rev. Fabricæ in perpetuum.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dum ad Univerfa &c.

ET ut omne dubium, & ambiguitas in futurum ceffare debeant. Ipfique Deputati opus Fabricæ hujufmodi diligentius profequi poffint; Ipfis aliifque dictæ Fabricæ pro tempore Deputatis. (a) Quod omnibus, & fingulis privilegiis prærogativis, facultatibus, Jurifdictionibus, gratiis, & indultis, tam Commiffariis per Julium, & Leonem, ac Collegio præfatis, per Clementem Prædeceffores prædictos ad commo-

VESPIGNANIUS.

(a) Deputati Rev. Fabricæ, & pro tempore deputandi poffunt uti omnibus privilegiis Jurifdictionibus, & gratiis antea conceffis.

Intellige tamen de facultatibus exemptionibus, & jurifdictionibus Collegii Fabricæ non autem de Indulgentiis difpenfationibus, & aliis per Pium IV. fuppreffis an. 1562.

modum, & utilitatem dictæ Fabricæ, quam etiam per Nos, per singulas Litteras prædictas Commissariisque, & Collegio præfatis per eosdem Prædecessores, ac Nos (ut præmittitur) hactenus respectivè concessis, sub nomine Collegii præfati, uti, & illa exercere valeant, eisdem auctoritate & tenore concedimus, & indulgemus; Ac singulas nostras, ac Prædecessorum nostrorum litteras hujusmodi, ad dictos, etiam pro tempore deputatos, & ad universas Provincias in singulis litteris prædictis expressas extendimus, & ampliamus: Nec non præsentes litteras ad nostrum, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium beneplacitum durare (a). Ac beneplacitum hujusmodi, & præsentes litteras, per generalem revocationem, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas, etiam per Successores nostros prædictos, pro tempore edendas, aut alias etiam, nisi per alias nostras sub plumbo, cum præsentium de verbo ad verbum insertione litteras, minime revocari posse: sed quoties aliter quam, ut præmittitur revocari contigerit, toties de novo concessas intelligi: sicque per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter

VESPIGNANIUS.

(a) Litteræ durant ad ipsius Pauli, & successorum beneplacitum: Nec per generalem revocationem, seu per Regulas Cancellariæ revocari possunt.

aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, sententiari, & definiri debere. Nec non quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno 1541. tertio Nonas Februarii Pontificatus anno octavo.



LIT-

LITTERÆ
APOSTOLICÆ

Super nova deputatione Cardinalis Præfecti Congreg.' Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & institutione Congregationis Particularis super rebus OEconomicis ejusdem Fabricæ.

Cum aliis opportunis Ordinationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium ex cura Pontificum in extruenda & conservanda Vaticana Basilica.



Uanta curarum & expensarum mole Prædecessores Nostri Romani Pontifices, alii quidem ad reædificandam Vaticanam B. Petri Basilicam, alii verò ad eam perficiendam atque ornandam, alii demum ad eandem conservandam opportunèque restaurandam incubuerint, universus novit Terrarum Orbis, quem hujusce augusti, & pulcherrimi Templi, ac religiosæ eorundem Pontificum magnificentiæ fama pervasit. Ad

quæ

quæ omnia in Dei honorem, ac Beatissimi Apostolorum Principis venerationem agenda, ac perficienda, necesse ipsius fuit, tam pro exactione redditiuum ac proventuum in opus Fabricæ ejusdem Basilicæ assignatorum, quam pro fideli ac provida eorumdem erogatione in ipsum opus, ad quod unicè destinati sunt, pari diligentia ac studio advigilare. Et Nos quidem hoc toto Pontificatus Nostri decursu minimè passi sumus Nostram in his operam studiumque desiderari; probe noscentes, hujusmodi onus non solùm cum Romani Pontificis munere, quod pro virium Nostrarum modulo gerimus, conjunctum esse, verùm etiam ad Nosmetipsos peculiari ratione pertinere, qui, quum olim in eadem Vaticana Basilica Canonicatum & Præbendam per annos XIV. obtinuerimus, ad Nos transferre possumus verba illa, quæ magnus quondam Prædecessor Noster Innocentius Papa III. de se scripsit, videlicet = *Inter cæteras Ecclesias per universum Orbem diffusas, Basilicam Principis Apostolorum, utpote Sedem Nostram, specialius diligere ac honorare tenemur; sicut qui olim in ipsa Canonici Beneficium assecuti, nunc de filio in patrem ejus, Divina sumus miseratione promoti*.

Pont. simile studium prosequutus est.

Q Sanè

Clemens VII., qui Basilicæ Fabricam magnopere promovit. Collegium LX. Virorum super eadem Fabrica institutus.

Sanè quum rec. mem. Prædecessor Noster Julius Papa II. (1) ingens hoc opus Vaticani Templi reædificandi magno animo conceptum vix aggredi potuerit, ejusque Successoribus Leoni X., & Hadriano VI., ob temporum difficultates, parum adjumenti licuerit ad id conferre; satis constat, Pontifici Clementi VII. datum fuisse, ut & primus omnium incæptum opus magnopere promoveret, & quæ ad ipsam Fabricæ constructionem, atque etiam ampliationem, & conservationem in posterum necessaria forent, certa ratione procuranda, & administranda constitueret; quam ob rem Collegium unum LX. Virorum Curialium, ex omnibus Nationibus electorum, instituit ac deputavit, illudque, ac personas eidem ascriptas, quum a quorumvis, etiam Cardinalis ejusdem Basilicæ Arcipresbyteri, jurisdictione ac superioritate, in his, quæ Fabricam ipsam concernerent, exemisset, sibi dumtaxat & Apostolicæ Sedi immediatè subjecit; prout in dicti Clementis Litteris incipientibus = *Admonet Nos* =, Datis apud S.Pe-

(1) Origo Tribunalis Rev. Fabric. à Julio II.
Paravicin. in Polyanth. S.Canon. verbo Fabric. S. Petri.
Rugerius de Tribunal. Rev. Fabric. lib. 2. cap. 1. num. 3.
Lauræa in Epitom. Canon. verb. Fabrica S. Petri.

S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDXXIII., pridie Idus Novembris, latiùs & pleniùs continetur.

Hoc autem Collegium eò usque forsan permansit, donec opportunum fuit, ac ædificii moles ad designatam initio formam & amplitudinem perducta est. Verùm, immutatis rerum circumstantiis, fel. record. Prædecessor Noster Clemens Papa VIII. (ut ab iis, qui Romanæ Curiæ res optimè callebant, assertum invenimus) in hujusmodi extincti Collegii locum, peculiarem Congregationem Fabricæ S. Petri nuncupatam instituit, in qua præter Cardinalem Præfectum, certosque Curiæ Prælatos, & Officiales, nimirum Auditorem Generalem Causarum Cameræ Apostolicæ, nec non Thesaurarium pariter Generalem ejusdem Cameræ, atque Palatii Apostolici Præfectum, & Auditorem Decanum Causarum ejusdem Palatii Apostolici, ac unum ex Clericis Præsidentibus dictæ Cameræ, & Judicem Ordinarium ipsius Fabricæ, ac ejusdem Fabricæ OEconomum Generalem, qui etiam hujusmodi Congregationis Secretarius existit, nec non ipsius Fabricæ Advocatum, quibus in hujusmodi Congregatione locum & suffragium perpetuò attribuit, plures quoque

Clemens VIII. Congregationem Fabricæ ex S. R. E. Card. & Prælatis compositam erexit.

alios S. R. E. Cardinales, ejusdemque Curiæ Prælatos, arbitrio Romani pro tempore Pontificis eligendos, similem locum atque suffragium respectivè habere voluit & decrevit; dictorum verò OEconomi, ac Judicis deputationem pro tempore sibi & Successoribus Romanis Pontificibus reservavit.

Sixtus V. Archipresbytero Basilicæ Collegium LX. Virorum subjecerat.

Quamvis autem supradictus Prædecessor Noster Clemens VII. primodictum Collegium LX. Deputatorum Fabricæ Sancti Petri, a jurisdictione & superioritate Archipresbyteri Basilicæ Vaticanæ, ut etiam innuimus, nominatim exemptum esse & fore decreverit; Quum tamen alter deinde Prædecessor Noster Sixtus Papa V. hujusmodi jus & superioritatem in ipsum Deputatorum Collegium Evangelistæ Cardinali Pallottæ nuncupato Archiepiscopo Consentino, & dictæ Basilicæ Archipresbytero concesserit; ut videre est in ipsius Litteris incipientibus = *Cum ex debito* =, Datis apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDXC., quarto nonas Martii, ejusdem Pontificatus Anno V., ubi legitur = *Nihilominus valde expedit, ut Tu Fabricæ prædictæ tua auctoritate, consilio, & laudabili studio incumbas* =, ideoque prosequitur = *te, quamdiù vixeris, & Archipresby-*

presbyteratum prædictum obtinueris, Fabricæ & ejus Collegii prædicti Protectorem & Superiorem auctoritate Apostolica tenore præsentium committimus & deputamus = Cumque idipsum deinceps usque ad hæc Nostra tempora factum fuerit, etiam postquam Collegio dictorum LX. Deputatorum, a Clemente VIII., ut præfertur, subrogata fuit Congregatio ex pluribus S. R. E. Cardinalibus, ac Romanæ Curiæ Prælatis composita, itaut iidem semper hujusmodi Congregationis & Fabricæ prædictæ Præfecti, constituti fuerint, qui Vaticanæ Basilicæ Archipresbyteratum pro tempore obtinuerunt; quemadmodum ex rerum gestarum monumentis Nostro jussu conquisitis recognitum est, atque etiam animadversum fuit ab iis qui citatas Sixti V. Litteras in Bullario Basilicæ Vaticanæ editas diligentibus notis illustrarunt; quorum hæc verba sunt = *Exemplo tamen Sixti V. quotquot illum secuti sunt Romani Pontifices, Collegii Rev. Fabricæ Præfecturam in Cardinales Archipresbyteros consulere* =; Hinc est quod quum bo. mem. Anibal dum viveret S. R. E. Cardinalis Albanus nuncupatus, qui dictæ Basilicæ Vaticanæ Archipresbyteratum in Commendam ad sui vitam ex concessione, & dispensa-

Exinde omnes Archipresbyteri Basilicæ simul fuerunt Congregationis Fabricæ Præfecti.

Ideo Pont., qui Archipresbyteratum Basilicæ Cardinali Duci Eboracensi commendavit, eundem in Congregationis Fabricæ Præfectum constituit.

ſpenſatione Apoſtolica obtinebat, ſimulque Præfectus Fabricæ, & Congregationis prædictæ exiſtebat, ſuperiori menſe Octobris ex hac vita migraverit, Noſque nuper dictum Archipresbyteratum Dilecto Filio Noſtro Henrico Benedicto Mariæ Clementi ejuſdem S. R. E. Presbytero Cardinali Duci Eboracenſi nuncupato, quo ad vixerit obtinendum, Apoſtolica auctoritate per Litteras Apoſtolicas commendaverimus, nunc eundem Henricum Benedictum Mariam Clementem Cardinalem Fabricæ prædictæ, & Congregationis ejuſdem Fabricæ Præfectum, quamdiu etiam vixerit, & Archipresbyteratus prædicti Commendam obtinuerit, cum omnibus juribus & honoribus hujuſmodi Præfecturæ adnexis, quibus dictus Annibal dum viveret gaviſus fuit., eâdem Apoſtolica auctoritate, ac præſentium Litterarum tenore, conſtituimus & deputamus.

Congregationem Generalem Fabricæ ſuper Cauſis contentioſis bis quolibet Anno haberi mandat.

Porrò duplicis generis negocia ſunt, circa quæ hujuſmodi Congregatio Fabricæ primodicto LX. Deputatorum Collegio jamdudùm, ut præfertur, ſubrogata verſatur. Alia ſiquidem judicialem reſpiciunt curſum cauſarum & litium, in quibus ipſius Fabricæ Judex Ordinarius ſententiam tulit, aut definitivè decrevit, quoties pars in

